

7
BASILII PLINII
RIGÂLIVONI,

De

VENTIS,
LIBRI III.



VVITEBERGAE
Typis Simonis Gronenbergii,
ANNO M. DC.

NOBILISSIMO, ATQVE AMPLISSIMO SENATUI;

Nec non

Vtiusque Collegii Tribunis, viris spectabilibus,
totique Populo Rigeni;

BASILIUS PLINIUS,
dedico, consecroque.

Vi universi diffusum complexum, con-
tinuato correspondentium Allegoriarum
contextu, concentuq; per gradus, serijsq;
numerorum ordinatas replicato constare,
Philosophus quondam asseveravit; næ ille
altius, & penitus ingenii sui intuitus, natu-
ra abductioribus intulit, ac inseruit adytis.
Hac enim ipsa sententiâ, Amplissimi atq;
humanissimi viri, germanam lucis Naturâ-
lis indolem, & vim humanæ Rationi insi-
tam, & per singula Naturæ membra con-
sentientibus expressè simulacris colluden-
tem, vivis & nativis depinxit coloribus. Cu-
jus sanè fulgētissimos radios, tum ex omni-
bus mundi articulis, tum cæteris humanæ
anima, qua tanquam speculare interstitium

cœlestium & terrenarum rerum utring; re-
collectas imagines fovet, & coaptat, facul-
tibus promicantes, ne singulatim percen-
sendo istius sententiæ inconvulsam osten-
dam firmitatem ; unius poëticæ facultatis
pulcherrima facies , non strabo judicio cō-
siderata evidentissimè istud præstiterit. Illa
enim cœlestis ordinis, & numerosæ cōcor-
diaæ, proportionumq; arcanarum opera o-
mniotentis Dei, indissolubilibus catenis,
& harmonicis mensuris connectentiu solidantiūq; , imago vividissima. Illa, ut fa-
culatum animæ extima , in sermonis non
vulgari, & confuso, sed sublimi & concinnâ
politurâ , texturâq; occupata ; sic omnium
divinarum , naturaliumq; rerum ; sive illa-
rum notitia ex ipsius animæ interno vigore
enata, sive per cœlestes nuntios communi-
cata, sive per externos sensus confirmata ;
scitè commixtis, ordinatè dispositis, venti-
stè applicatis florentissimarum figurarū co-
loribus commendabilis, & gyrorum, saltu-
umq; ingeniosorū varietate, concentuq;
pictura admirabilis. Ut hinc antiqui , illam
ipsam astlatu numinum superiorū accendi,

&

& perfici, non vanè crediderint: cùm ge-
nuina & vera illius vis in raris etiam eluccat
mentibus, quas æthereus vigor altius terre-
no corporis torpori, horroq; subductas
in pernices & perspicuos elevavit, & expan-
dit meditationum orbēs, & revolutiones.
Quapropter, cùm & ego huius facultatis
divinissimæ nō languida semina, simul cum
amore Naturalis scientiæ inexplebili, insi-
ta mihi à naturâ non obscuris signis anim-
advertissem; ingratum me in ipsum Deum
illorum satorem fore existimavi, si incultu
& negligentiâ illa arescere, & int̄cire sine-
rem. Excitare igitur illa exercitatione, &
Poëtarum lectione evocare, & irrigare,
quamvis serò, coepi. Tale autem illis exerci-
tiis temperamentū hucusq; constanter im-
dixi, ut graviorum operarum quasi intin-
ctus & bellaria fuerint: quibus ad exquisiti-
ores meditationes acrior, & alacrior inci-
taretur animus; & in illis curarum, languo-
rumq; solatium, & oblectamentum quovis
artificiosissimo testudinis, citharaevé con-
centu dulcius, inveniret. Tum verò eas res
mihi illustrandas selegi, quæ gravissimæ &

A 3 utilif-

utilissimæ ab ordinariis studiis non essent
alienæ; Ut, & in ludicris & feriatis operis
mentis indaginem profundiùs rerum caus-
sis insinuandi daretur occasio; & sic imagi-
num internarū chori, non vulgari, & pro-
tritâ lacernâ involuti, sed purpureâ poëti-
corum colorū chlamyde amicti, bracteisq;
non emendicati & æruginosi verborum, ut
sic dicam, metalli illustres, per harmonicos
ductus, & reflexus, in absolutos, & æquabi-
les allegoriarum diducerentur, & concin-
narentur circulos. Atq; hac ratione omni-
potenti Deo stupendorum suorum operū
grati canerentur hymni, ad exemplar con-
fessionū motuumq;, quibus cœlestis con-
stat astrorum concordia. Sed inter omnes
poëticos meos fœtus, quorum pars lucem
aspexit, pars adhuc supprimitur, charissi-
mos habeo, hos tres libros de Ventis, ante
triennium ferè paucarum septimanarū sub-
cesivis horis absolutos: quos jam vobis,
Viri amplissimi, humanissimiq;, Mæcœna-
tes & fautores mei honorandi, lubens, me-
ritoq; dico, & consecro; testandæ magis,
quam referendæ gratiæ, pro maximis vestris

mihi

mihi præstitis beneficiis ; impensè rogans,
ut hilari vultu, & faventi animo his, tanquā
odoribus, & coloribus ingenioli mei , nec
inutilibus, ut spero , nec invenustis interea
fruamini, & oblectemini ; illosq; autorita-
tis, & judicii vestri radiis à fœtore jacenti,
& lividis maculis distortarum, & turbidarū
mentium tunc amini : Donec brevi fructus
ipos, vobis patriæq; saluberrimos cum fœ-
nore colligatis. Ut pluribus illos vobis cō-
mendein, non laborandum puto, cùm præ-
ter alia, materia ipsa , Venti, Patriæ nostræ
publicis cōmodis studiosissimi , & accom-
modatissimi , vos ad sui, suorumq; effecto-
rum cognitionem facile allecturi sint. Va-
lete, & mihi meisq; studiis favete. VViteber-
gæ, 26 Augusti, Anno salutis 1600.

AD BASILIUM PLINIUM, RIGĀ

Livonum, Poëtam eruditiss. Med. Candidatum.

Super opera ipsius gravissima,

DE VENTIS & HUMANI CORPO- RIS FABRICA.

Nos miseros ! qui lauricomâ plerique Poëtæ
Tellimus incassum fronde supercilium ;

A 4 Et

Et nos magnificos ad plebem singimus, ævo
Investes, inopes indolis, arte rudes!
Ecquid enim audemus, quod non & vulgus, & ipso,
Clausus adhuc trivio masculus Orbilii?
RE sine res omnes epigrammate claudimus: aut quā
Plus sapere ingenio vult, anagramma suit,
Sudat adhuc ætas stadio tibi pubere, PLINI;
Nec fastosa tuum Laurus obumbrat epos;
Multorum tamen anticipas & acumen & artem
Ingenio, æquiparas iudicioque senes.
Hæc testem laudo divino proxima Caro,
Quæq; alibi Phœbo docta reperta probas.
Quæ non sunt cassi ventosa putamina rhythmī,
Quamvis in VENTIS omne moretur opus.
Sed, quod præcipui laudato in carmine puncti est,
Consolidat R.E.R.V.M. viva medulla metrum.
Ne Laurum invideas ulli, doctissime PLINI,
Sit tibi pro Lauris Pieris una decem.

Frid. Taubmanus, Poëta C.
& Prof. VViteb. pub.

A L I V D.

PLINI, quid ventos, & inania murmura captas?
Impetus heroas iste propaget opes.
Sed tamen in Ventis tenuis tibi gloria non est,
Namque nitor verbis, gratia rebus inest.
Ede modo parili, qui corpora ritè SECENTVR,
Eximum multæ sedulitatis opus.
Non dubia est palmæ victoria, quæ tibi largè
In Medicis surgit, surget & in Melicis,

Iohan. Georgius Hochstaterus,
Kittingâ Francus, Poëta Laur.

LIBER PRIMVS, DE VENTIS.

Instabiles ventorum animas, contermina certis
Regna paterna plagis, studia, æternosque labores,
Præliaque horrendis terræ, pelagoque ruinis
Formidanda canam. O nunquā frustrate vocatus
Magne Parens nostros, postquam surrexit ad arma
Pieridum exosam mens abruptura quietem,
Dexter ades, placido vultu magna ausa secundans.
Omnipotentis in his etiam viget inclita dextre
Famaque, visque tua: Sunt hæc monumenta favoris
In nos larga tui, sunt & metuenda flagella,
Ob peccata quibus justâ à te plectimur irâ:
Tollat in ingenio hoc animum tua dia potestas,
Terrestri que obessa situ jam triste laborat
Carceris ingredi: Pateant arcana latentis
Naturæ, & picto verborum conta paratu
Perfpicue interea liquidas efferre sub auras
Fas mihi sit; Quando nostræ nondum ardua possim
Munia, naturamque Anima sperare profundam:
Dum neque dum ingenii maturo robore vires
Succidua obfirmarit constantior atas,
Præruptique vacillantis frenaverit æstus
Indicii, ut vulgi deliramenta sophorum
Fastidire queat, paucisque inhiare probatis
Dogmatibus, penitus quæ Natura eruta fibris

At quos primò aditus ad tam subducta ferentes
Explorare animus tentet ? claustra invida primò
Quenam amoliri nitatur ? ad avia quosnam
Devitanda sibi comitésque, ducésque fideles
Advocer ? ad quorum vestigia certa sophorum
Non dubios, timidosque queat componere gressus ?
Multæ equidem apparent longæ latæq; viarum
Ambages : recta & penetralia ad intima certus,
Commoda deducat qui per compendia trames.
Quæritur : insistamne tuis cuncta antè statutis
Magne Stagirita ? an divini docta Platonis
Scita sequar ? Quid, si libeat divertere in hortos
Vernantes Epicure tuos, atq; inde decoras,
Sed fastiditos vulgo decerpere flores
Democrito duce ? Quid proprius si inquirere causas
Auspiciis Arabum malim, & qui mortua pene
Illorum secreta, orbique incognita nostro,
In vitam Germanus Homo revocavit, & usum
Ingenii humani superans Diis equus acumen.
Ne me in verba adigat quisquam jurare Magistri
Ulli, obvinctumque hominis rationis in unis
Unius arbitrii assensum figere mentis.
Ne mihi animum eripiat miseria tam bruta libido
Servitii, & stupidi vecordia plumbea vulgi.
Libertas o sancta Dei venerabile donum,
O rerum decus, atq; hominum exoptata voluptas,
Assere tuti me, & vegetis per cuncta sophorum
Judicij monumenta alis permitte vagari ;

Exempli

Exemplo solertis apis; velut illa per omnes
Frugiferas nemorum latebras, redolentia prata.
Per montes, vallēsque cavae, hortōsque feraces,
Indefessa volat: quæcumque invadit avaris
Herbarum, & fruticum decora ostentata lacertis,
Exigit à cunctis poscente tributa susurro
Provcentum ad mellis, corrasa reportat in aula
Thesaurum, inter se diversos arte coaptat
Ingenitā succos, tranquillat, digerit, unit,
Atq; saporiferā arcā spiraminis aurā
Torpentes refovet, confortat, suscitat, auget:
Sic mihi cunctorum liceat peragrare sophorum.
Scripta, & quicquid in his placitū depromere ad usū;
Tum proprii ingenii liceat quoque viribus ex his
Conciliatis, dispositis, scitēque subactis.
Concordem, & latum veri contexere vultum.
Audendum est, audendo ascendit ad ardua virtus
Optatis desperando quisquamne potitus? 11
Si tamen his tantis impar meus excidet ausis
Conatus; quæso parce intentare severi
Torva supercilii mihi fulmina, qui nimis alta,
Atq; exacta sapis: Non his successus olympus
Corruet, aut tellus metuet chaos eruta fundo.
Jam primum arcanos cœli, & telluris amores
Concupitus indivisi complexibus arctis
Fervido alit studio vigor indefessus utrinque,
Fœcundoque satu per cunctos diditus artus
Floridus amborum exultat, rediviva subinde.

Corpora,

Corpora restituit rerum, quæ passa fuerunt.
Indevitandam lethi violentiam iniqui.
Otia, nec segnem novit laudare quietem,
Continuo in motu, & procinctu perstat, & urges
Noctes, atque dies munus vegetabile leti
Officii: hoc Solis, Lunæq; ingentia latum
Corpora fulta terunt iter, astrorumque citatis.
Lucidus ordo choris stimulatus circuit orbem.
Hoc genus humanum, diversaque secla ferarum,
Ali gerumque agiles turmae, & quæ monstra profundo
Squamigerū innumeræ stabulantur in aquore gentis,
Concipiunt vires firmata, hoc semina florent
Plantarum, hoc lapides, succi, atque operosa metalla,
Et quacunque sinu Natura abstrusa feraci
Possidet, accrescunt commixta, & fota supersunt.
At vero tanti ardorem confirmat amoris,
Suscitat, inflamat magis, atque potentius armat
Depromtum etheriis gazis quod Pignus in orbis
Natali primo concessit, & insuit imis.
Telluris sponsæ cœlum prælustre medullis.
Quod quanquā objicibus validis circumdatur extra
Aggestorum elementorum, autoris tamen, atque
Dissimile esse sue nequit indolis: hinc vigor omnis
Promicat in rebus; venit hinc sua gratia cuique,
Vis, motusque omnis, tantus responsus, & equum
Consensus, stabilisque inter concordia cœlum,
Et terram hoc fulcro fundatur nixa, catenâ hâc
Indissolvendâ valide connexa coheret.

Post.

Postquam igitur cœli admonitu, instinctuque cictur
Æthereus vigor, ut cariosa relinquere tecta
Antiqui velit hospitii; molimine magno
Convaserat suas vires, perfringere claustra,
Exuere affrictas labes connititur, & mox
In nova vel rerum succedere corpora pergit.
Vel patrios remeare lares contendit ad astra:
Atque illic purum de puro fonte regustans
Insatiabiliter sinceri nectar amoris
Pascat, in rerum donec recreatus abunde
Sese iterum nova demitti primordia gaudet.

Interea quæ deseruit, ruere impete prono
Cruda Elementa, rapit quò quodque innata libido,
In sua naturæj, vocat mirabilis ordo
Principia, acceleravit. Velut indignatus habenat
Acer equus, postquam rectorem excusset, in arva
Avolat, adque suos aufertur anhelus amores,
Clamoresque, minasque rapit revocantis in Euros
Precipitans secum juga per scopulosa, per amnes,
Per montes, vallæque cavas, vastasque paludes.

Sed quia mixta modis variis, certisque subacta
Legibus, atque inter se assuet a fuere per usum.
Communis studii, pacati mutuo amore
Convictus lenita sub alme numine herilis
Imperii Formæ, justas reverentia poenæ
Non subito acceptos possunt dediscere mores,
Nec rectâ ad patrias sedes, nevösque redire.
Mutua quin illa inter se contagio tardat,

Vrget.

Vrget, & intricat, memorique impressa revelli
Stigmate nec facili Formæ præcepta labore
Possunt, ancipitique harent, nutantque vigore,
Incera in quasnam tentent secedere partes;
Astrorum arbitrium donec subiere sagaci
Luce recensita, & lustrata, manuque jubentur
Missa suos tandem sopitâ lite redire
In mores, & regna, a quis abstracta fuere.
Vt leo, qui primâ est orbatus matre Inventâ
Humanas perferre manus, legesque magistri
Sepe inculcatas revereri edoctus, ubi ignis
Irritati animi maturior emicuit, mox
Libertas animosa placet, perrupta pudendi
Servitii it jurata fides, subit impetus acer
In patrias silvas, antiquaque lustra reverti:
Sed tamen haud subito se andet sociare cohorti.
Quis non fracta riget feritas genuina, Leonum,
Concius edomiti per membra, jubasque vigoris,
Oris adulatique pudoris; in abdita tesqua.
Exul abit, vultum donec metuenda resingat
Asperitas, pondusque jubis, surrectaque surgane
Arma toris, placeatque suus datus unguibus horror.
Ergo accurato studio dum sidera motu
Assiduo revoluta explorant adsita rebus,
Seu certâ in specie, seu sint Elementa soluta,
Illorum excussa se condenso agmine sursum
Particulae abripiunt, quarum confusa gregatim
Cùm se conglomerant subtilia corpora; visus

Fallitur

Fallitur, ut quasi continuum nos cernere corpus
Credamus, cum sit multis ex millibus inter
Sese confusis, variisque incurvis actis
Corporibus Legio : Latio sermone Vaporem
Quam dicunt, humor si predominet in illa,
At fumum, ex siccis si magna ex parte coivit
Ceribus. His ex principiis prodire propinquis
Ventorum Naturam, atque hinc desumere vires,
Atque iras tantas doctorum calculus omnis
Comprobat : Imprimis ex siccis halitus auris
Fluxilis illorum censetur idoneus autor.

Jam Sol prae cunctis operam hic navare videtur
Principiam, in cuius suffragia cuncta reposta
Astrorum, arbitrio, reliquorum, luce potente
Exuperans valide exequitur decreta. latentes
In rerum propriis morbos inquirere solers,
Intima contuitu pernici viscera terre
Metitur ; nihil in Pelagi penetralibus imis
Illum intentatum latet, omnia permeat, omnes
Languores incusat, iniquos destruit actus,
Vellicat immemores vires, firmataque caducas.
Hinc corrasa tot evolvuntur in aera terra
Ex vastis latebris, cryptis, stagnisque profundis,
Sulfureisque caminis nubila densa vaporum,
Fumorumque, a se quae discordantibus horrente
Particulis, atq; hinc, illinc disjecta vagantur.
Non autem proprio nisi eluctantur in auras,
Sed partim ethereis promota, evectaque sursum

Principius,

Principiis, quibus existunt obnoxia, motum
Consectantur adhuc, quarum parere subacta
Nutibus institerant nuper: Partim acribus inter
Sed dum particulae hostiles conflictibus icta
Decernunt, rabide instigant, urgenterque, ruuntque,
Inq[ue] vicem cedunt profuge, vitantque, caventque
Præcipitari, aditusque omnes remeando nocendi
Immodice irarum captant, adversaque tela
Illidunt, franguntque, intorto turbine nubes
Prorumpit contrusa in apertas aëris oras.

Sic ubi diversos inter discordia Reges
Bella moventur apum, diversaque signa secute
Aëris in campis nigrae occurrere phalanges,
Cum sonitu arma movent alacres, pugna aspera fer.
Densa apis hæret api, alæ infligitur ala, retusa (vit,
Spiclis spicula calent, globus intricatus ad astra
Volvitur abreptus, quo insurgit fortior ira
Exstumulata negans vinci, inferiusque repellit.
Primo in procursu sed pugnacissimus ardet
Particularum harum furor, & petulantius effert
Effrenes animos, quam primum compede deminat
Libertas dum prima placet, dum cominus harent
Insultantque sibi, & stimulis magis acribus acte
Invidiæ exagitant se, & spoliare laborant
Quæque alias armis, atque imperitare subactis.

Aëris at postquam campos tenuere patentes,
Cedere ubi possunt, longè & subducere se,
Lassatus sensim deslagratae impetus ira

Languor

Languescit, tædet jam prosequi atrocius hystem.
Segnius irritat, qui quanto longius absens,
Non odii tamen innati crudelia possunt
Semina sopiri penitus, ne in iurgia gliscant,
Insidias meditentur, & in convitia sepe
Prorumpant, sevisque minis in verbera tendant.

Est ubi juratum cognata potentior agmen
Pars jungens adversantum furiosa coerces.
Ausa atomorum inhibens fremitus, saltusq; procaces.
Humida sic quando exundant primordia segni,
Atq; gravi incubitu impediunt, valideq; morantur
Particulas tenues, & mobilitate vigentes.
Quod patet in nebulis, quæ ignava nube paludes
Obsedere, quis esse simul commixta negabit
Corpora quadam illis agili gaudentia motu?
Et tamen immotâ stupidas torpere quiete
Illas conspicimus, si nondum abscedere jussæ
Aradiis fuerint solis, captivaq; in auras
Libera siccårum dimittere corpora rerum.

Quicquid ab Oceani latè refluentibus undis
Exsurgit quicquid profundunt flumina, supra
Seu terram sese ostentent, occulta recessus
Seu cecos subter, latebrosaq; saxa meatu.
Torpenti rimentur, & intima claustra barathri
Pervadant: quicquid stagna, ingentesque paludes
Expurgant; collectum a gentibus aeris oris
Cedit in aggestos cumulos, & spissa vaporum.
Agmina, quæ pollent instructa humore potenti,

B

Pessuna

Pessundantque leves, quæ se adjunxere cohortes
Aereas, siccasque, & non requiescere doctas.
Ex his incerto, & languente vigore renato
Concrescunt nubes, nebulæ, caligo, pruina,
Grando, nives, pluvia, rorësque, imbrësq; madentes,
Ditescunt fontes, amnes augmenta capessunt,
Abditi in astrusis latebris, qui per cava terra
Viscera grassantur. Nam contra intentius instans
Lux solis, quando terrestria mixta flagellat.
Corpora, pro subigitque minacibus acriter urgens
Imperiis; quanto tunc insinuata revelli
• Egrius ex formæ caris amplexibus alma
Turba potest atomorum, hoc tanto seviis acta
In rabiem resilit, turbat, fudit, impetit, angit
Aëra, dissipat adversas, rabidoque rotatas
Impetu torquet agens, profligat, sternit inertes
Particulas humore graves; vix ulla resistens
Huic conferre manus audet, sic fulminat, & sic
Ardet, & ingenti se circum strage triumphat.

Hac constat propriè dicta expiratio, cuius
Sunt generis, Fumus, Fuligo, Nidor, & acer
Spiritus, humoris modulis, siccique tributis
Diversis inter se qui differre notantur.
In cunctis autem siccii excellentior ardet,
Subtilis, veloxque vigor, qui corpora quanto
Extenuata magis, magis & subtilia subsunt,
Perfurit; hoc tanto violentius, acriusimum
Proterit, infestat, ceditque, agitatque, citatque

Aura

Aëra: maturæ enæstatis tempore quando
Subsidium rabido radiis Hyperionis adfert
Syrinx afflata; quantos hæc suscitat æstus
Fumorum intricata cohors? quo turbine fervet,
Languorémque, sitimque ferens, tabémque perniftis
Corporibus pecorūmque, hominumq; herbisq; satisq;?
Ex hac ille calor, quem Elementarem putat, atq;
Maxima turba sophorum igni contendit inesse.
Non sum animi dubius, quæm lubrica, & ardua
Eniti in juga, quos risus, quæ sibila queram, (tentem
Si tot continuo fixa, obdurataque seclis
Scita Sophorum animis tentem exturbare, novisque
Inserere instituam nova dogmata legibus, annis
Crudus ego, & stupidi cœli ille obscurus alumnus.
Nemea ne tanto temerario amore sui omnis
Simplicitas submissa sibi excidat, absit ab isthac
Pectore tam audacis persuasio vana paratus:
Intentata Stagirite atque invicta repertis
Majestas constet. Non me tamen edere quisquam
Interea ingenii tenuis prohibebit acerbos
Conceptus, nec adhuc firmatis robore nervis
Forsitan anhelantes dubio, si ponere tuto,
Quos tamen antiquis me spero posse statutis,
Nec spuriis dissensaros affectibus istis.
Quid primò Calor, & Siccum, quid Frigus, & Humor
Sit, magis intentè juvat indagare parumper,
Ut radicibus ex imis educta sub auras,
Ventorum natura queat miranda videri.

*Nunc aeternæ pater, nunc tantas suffice vires,
Quæ valeant tantas dignis evincere verbis
Res, adeo ignorantie opacâ nocte sepultas.*

*Principio calor, immensum qui permeat orbem,,
Ille cavis sive in fornacibus astuet imis
Terrarum, & furiosa incendia misceat, unde
Tot passim erumpunt fontes fervente calore
Turbidè anhelantes, tot in althera seva revulsis
Montibus exultant flammarum ostenta frementum;
Seu supra terram dominetur in aëre, sive
Nubibus inclusus furat, & fera fulmina cudat;
Omnis ab adversis humorum partibus inter
Se pugnantibus exoritur, quando aëris imi
Ille inter se se rabidis concursibus iecti,
Dilaniantq; rotantq; citatos undique flues:
Irrequia modo has pavidas, modo disjicit illas,
Proturbatque fugæ inconstantibus acta procellis.
Tunc res quascunque invasere, minacibus urgunt
Impetibus, celeri oppugnant, tunduntque tumultu,
Expugnant, penetrant, evertunt, fortior obstans
Seuos conatus nisi vis interna repellat.
Hinc herbas tristes rugas trahere ante senectam,
Cernimus, exhausto, distracto que vigore;
Hiscere fissuris tellurem, fontibus ipsis
Tristi arere siti fauces, cava saxa crepare,
Languida cunctorum per membra jacere vigorem.
Brutorum, atq; hominum; Nimirum spiritu autor
Reboris, & motus succis spoliatus abactis,*

Quid

Quis confortari sperabat, mœret, acutis
Tum stimulis, quæ se insinuat, fuliginis, ictus,
Et dubie exagitatus, & obturbatus ab almis
In varias studiis partes distractus anhelat,
Indignatur, & in languorem solvitur ægrum.
Ergo dum sic afficitur per corporis artus

Spiritus, exsurgit sensus tunc ille doloris
Tristior, illatebrant quò se magis agmine spissò
Particulae, atque inter se modératiūs acres
Exacuunt rixas, gravioraque verbera miscent.

Namque ubi suspensis intentant viribus ictus,
Aut contendendo saltu, luctaque jocantur,
Pacatus teor alludens permulcet amicè,
Vivificasque hilarat, vegetat, recreatque cohortes.

Cur verò astivis humorum hac pugna diebus
Aerior effermenescit, quam tempore bruma?
An quia sublimis propius fastigia cœli
Cum Titan possedit, in intima viscera terræ
Subjecte radios rectos magis incutit, ut sic
Angustis spatiis, & acutis inde refractis
Aera configant, turbentque frequentius imum,
Et tenuatum adigant calidos proflare vapores?
Non equidem infiteor Phœbum plus posse, sub altum
Cum celsus vehitur radiantis culmen olympi,
Ægocerotis quam cum hospes nive condita rura,
Et captiva gelu obliquo vix lumine cursim
Transpicit, atq; humili nutu attrectata salutat.
Quippe magis prone, atque intento pectora terre

Obtutu lucis lustrat, scrutatur, & omnes
Occultas magis in labes inquirit acutè;
Atque ita densa magis, magis & crudelia tollunt
Agmina humorum sese siuper aëris oras.
Sed quæ de fractis radiis multa audio, tantum
Audio, ad assensum cùm nondum abducere mentem
Viètrici ratione ulla potuere subactam.

Quid si præterea æstivis flagrantior horis,
Succingit patulas cùm Sol altissimus umbras,
Hanc etiam ob caussam calor exultare putetur?
Nam profuga ex rebus corpuscula conscientia culpa,
Solis & examen metuentia, cædibus atque
Horrendis intersese grassata rapinis,
Cùm sursum ardor agit; Lucis perculta deorsum
Conspectu abripiunt sese, & trepidantia tutum
Suffugium obliquis querunt discursibus; & sic
Rursus in arma ruunt, inimicaque tela sequentur,
Arrietantque inter se allisa ferocius ictus
Ingerinant, iræq; extrema incendia cogunt.
Sic acres hostis quando devicta sequentes
Tela fugit; si parte adversa occurrit, & instat.
Densius, & magis acre agmen, vel vasta paludis
Stagna, vel ad motæ cœlo juga proruta rupis
Exclusere fugam, redit in præcordia virtus
Acrius, extremisque viros extusa periclis
Vertit, & impellit viètrici saepefurore
In turmas, quæ in terga ruunt spe præcipiti æta
Prædarum; tunc recrudefecit atrocious inter

Alternis

Alternis prorumpentes fera pugna cohortes
Impetibus, via quā ferro patefacta cruento est.
Quare etiam densa si quā nemus accubat umbra,
Sicubi vel vastos humeros, gibbosaque terga
Fulmine perdomita inviso, Soli ardua rupes
Obstruit, inducias agitant, lētasque choreas,
A Solis securi exoso lumine, fumi;
Aique ideo minor hic hominum, pecudumq; flagellat.
Membra calor, placidoque licet revirescere somno:
Nec plantis metus est, ne defraudentur ab illis
Rore per aestiferas horas medii usque diei,
Quem pitissando Genium frugaliter explent.
Hinc quoque crediderim invictas in montibus altis
Obrignisse hyemes, cœlique ex culmine Solis
Æstivi radiis flagrantibus arridere
Illas per celso nives juga: Namque ibi rarus
Cantibus ex spissis, nimiumque tenacibus exit.
Fumorum cœtus: tum si quoque densior, atque
Acrior exsultet, tamen illi libera prompti
Suffugii ratio patet ad latera undique summi
Aëris in campos, ubi nulla adversa atomorum
Turba recalcitrat, & retro compellit abactum.
Ecce autem juxta sepes, & confragata silve,
Saxaque, mirorūmque anfractus, lumina Solis,
Quos ex adverso appellant, flagrantior æstus
Sentitur, quoniam replicata, retortaque, & in se
Alta iterum laterum obstaclis corpuscula fumi
Collectantur ibi magis, & contrusa resultant

In faciem, atque cutis per spiramenta feruntur,
Spirituūmque inhibent operas, turbantq; petulcis
Motibus, importune abeunt, redeuntque subinde.
Quid faculas tibi commemorem, tedaſq; serenas,
A quibus has sensu poteris cognoscere cauſas.
Nonne apicem flammæ ſupra quando altius effers
Fortè manum, calor intense magis impetit acris,
Ad latus inferius tepidus cùm langeat aſtus,
Nec procul à flammâ ſeſe audeat oſtentare?
Quippe viam fumorum omnis glomeratus in auras
Affectat coruſ, qui quo depulſus ab auris
Cogitur adverſis, illuc ſimul acris adactus
Effert ſe calor, & vegetis bacchatur in armis.
Qui quoq; dum cœpimus laterū circum undiq; clauſtris
Fornaciſ, quantos via quā data proruit aſtus,
Quantos flagranti fremebundas bile volutat,
Lethiferasq; acies? laterne idem ille latebris
Aut lychni labris clauſus cùm excurrere neſcit,
Compulſus flammam, que libera ovabat agreſti
Exonerato iſto languore invadit, & urget,
Strangulat, enectamq; horrentibus infodit umbris.
Ergo nil calor eſt aliud, quam rixa furentum,
Fumorum, incurſusque in res quascunq; propinquas,
Quas penetrando citi, diſturbandoque reſolvunt
Expansi cum illis, quos conſcivere ſubactis
Ex rebus fumiſ, iterūmque, iterūmque retuſis,
Expulſisq;, incoſtantēque hinc inde volutis.
(Non autem craſā & nigra caligine fumiſ

Prachyſor

Precursor flammæ, qui oculis apparet, ad illum.
Producendum habitis, sed quæ complexibus exit
Principiorum filigo subtilis, & acer.)
Et sic diversi generis res solvere quales
Ipsi etiam possunt, sed qua ratione putentur
Unus & generis pariter compellere partes,
Et sociare modis concordibus accumulatas,
Non dum equidem video: propriè hoc cum partibus
Anatum, ut formæ vincis, & lege soluta. (ipss
jungi, sui juris factæ, consensibus, atque
Atrorū venia simili se quæque cohorti
Adgredit, innatōque feratur concita nisu
In patrias sedes, quas sancito ordine cuique
Infantis mundi à primis divina Potestas
Unguiculis assignavit, priùs in chaos orbis
Antiquum ruet, hic quam disturbabitur ordo.
Quin agè perspicuā rem corām in imagine specta:
Si que massa luti, cui sint corpuscula rerum.
Diversarum immixta, in aquam conjecta citatis
Fluctibus exagitetur, ut oppugnata fatiscat,
Commissasq; sibi cogatur reddere partes:
Tunc ubi fessa suis amotibus unda quievit,
Diversi apparent cœtus coiisse, natare
In summo levibus levia alludentia, in imo
Per cumulos gravibus gravia accubuisse, coacta
Crassissimæ hærere, exilia denique junctim.
Consociata exilibus: & sic cuncta propinquam,
Atque sibi similem studio petuisse cohortem:

B 5

Visque

*V*sque adeò in crassis etiam hæc mirabilis ordo
Cernitur obsequiose, & alacriter observari.

*A*ff hyemis tormenta, quibus contorta catenis
Torporem incutunt rebus, tantoque tremores
Viventum cuncto generi & quid flumina cursu
Concita marmoreo frenat perculta stupore &
Avia ni verò mentem sententia fallat,
Particulis certis etiam hoc ascribere rerum
Non dubitem. Nam terrenorum elementa vaporum,
Atque aqueorum cum correpta sub astra fuerunt,
Judiciis stellarum inibi tentata severiss;
Falciferi senis imprimis sententia cuius,
Ut sibi subjectis, gravis, his incubit, & instat;
Compositis rixis, contractis ordine turmis,
Cognatis terra rursus damnantur, & undis:
Quo pronis tendunt animis, lapsuque citato.
Indolis antiquæ nam nondum oblitera, nec alma
Matris amor longo exilio interruptus utrinque
Diminuit quicquam, tanto conamine se se
Contrudunt, & trajiciunt, & quod minus absunt,
Hoc citius se propellunt, gremiisque petitis
Excipi avert tanto propensiis; unda viciissim,
Et tellus, reduci accusu sua pignora longe
Postquam anima advertunt ad se contendere, letis
Motibus exultant, amplexanturq; recepta,
Innectuntq; sibi per spiramenta reclusa.
Hinc illa incubitu compingunt flumina, stringunt
Arva, necant herbas, pecorumq; hominumq; dolore
Pressant,

Pressant, & tristi conturbant membra tremore.
Nam veluti vario motu exagitando dolorem,
Atq; expandendo fumi producere nati;
Sic aquæ hæc contrà, & terrestria corpora eundem
Mole premendo suâ, constringendoque propagant.
Tum quia spirituum per summos corporis artus
Agmina supplantant, prosternunt, pessundantq;
Tum quod constringendo cutis spiracula fumos
Includunt, quos per venas alimenta procaci
Nequitiâ infestos percocta effundere sueta:
Qui interea affligunt pariter, roduntque catervas
Sensivas; saepe in penetralia corporis urgent,
Ossaq; collabefacta fremente tremore pererrant,
Huc cùm spiritibus simul acti, à partibus, extra
Obsidione gravi duraq; prementibus artus.

Fam verò sicci sunt sensum inducere prompti
Terrestres atomi, bruto torpore supini
Qui cunctantur, & impediunt, torquentque severis,
Atque obduratis curis quascung; propinquas
Res comprenderunt; quamvis invadere avare
Limitibus propriis contenti aliena recusant.

Artifices tandem humoris celebrantur amici
Aeris, atque undæ versuti illustris alumni;
Quique leves atomi ardeliones insinuare
Se rebus cunctis gaudent, passimque vagari
Quorum equidem grata est, si consuetudo modesta est,
Putret, & offendit, luxu si exundat inepto. (est
Ergo agè jam propius quæ sit Natura videndum
Ventorum,

Ventorum, quibui ex atomis tanta agmina lecta.
Surge anime, atque per aëreos excurrere campos
Ne pigeat; varias illic, densasque catervas
Ex variis atomis, quos jam depinximus antè,
Confluxisse puta, quali ratione probatum est.
Illa autem porro tunc sub censoribus astris
Transvectæ in turmis certis, per certa seorsim
Lustra recognoscuntur; & in sua natio quævis
Agmina secedit compulsa, probata probatis,
Et scelerata scelostis, pigris pigra jubentur
Jungere se certis corpuscula legibus, iras
Ponere condictas, odia & privata cavere.
Hinc ita dispositis, ex septem cuique Planetis
Prefectus sum assignatur certus, amicis
Consiliis recta, & vernaclo animata favore,
Cujus promtius auspicium, ductumque sequantur.
Hic Saturnus agit gelidum, & grave tardius agmen;
Illi præcipites turmas subtilibus alis
Mars rapit; accedunt mandatis Cypridos almae
Molliculi, blandique chori: Dictynna cohortes
Inispidas. & languentes ductare laborat:
Parte alia fœvis imperiis mitissima paret,
Atq; electa cohors; Phœbus verò omnibus aquè
Consulit in medium addictus, totamq; gubernat.,
Temperat, ac firmat moderato lumine molem.
Ecce autem incertos, & mobilitate maniplos
Instabili ancipites, qui se adjurare cohorti
Distinctæ renuunt, nunc has, nunc transfuga ad illas

Incon-

Inconstanter amant discurrere, & esse Volones,
Arbitriis dubiis permittit in aera vastum,
Grassari, atque vagari anceps Cyllenus heros.
Isti, isti, autores Ventorum, isti aquora fundo
Eruere, & nemora abripere, atq; affligere Mundum,
Turbine terrifico fremituq; procace potentes.

Id vero hand alia fieri ratione probabunt
Ventorum certae fidei prænuntia signa.
Cum promittit equis sudantibus aquora, Phœbe
Hesperio quoties rutilo suffusa rubore
Ora vident, nautæ, vel Lunæ argentea circum—
Cornua puniceum sese accumulasse tumorem,
Illi aut vultum iratis ignescere flammis,
Et rubeas passim palantes aethere nubes.
Impensè excubiis croceum cinxisse cubile
Sanguineis Phœbi occidui, tunc certa carinis
Verbera, sudoresque sibi promittere possunt.
Quippe docent spissos ventorum semina fumos
Largius aëreas tractus complesse coactos.
Tunc etiam jactare jubas vaga sidera noctis
Luxurie explicitas, intentatasq; feroci
Lucidius solito aspicimus ; per inane volare
Stellarum simulacra vagis excursibus acta,
Lumine cristatos à tergo ducere tractus :
Sepe levant proprio sese quasi sponte sub auras.
Ponderis ignoræ paleæ, atque emortua saltus
Se folia in tacitos tentant animare, pererrant.
Flumina summa leves pluma, & colludere gaudent:

Herba

Herba tribus foliis notissima provida ventos
Venturos metuit, folia & sua contrahit horrens.
Nolarum in summis pendentia turribus æra
Hos etiam tacito se præsentire fatentur
Murmure; Quin montes, valles, nemora alta querelis
Horrisonis contracta tremunt, longèque volant
Littora presagos strepitus, freta mota tumescunt.
Ex quo scire licet, jam tum secreta coisse
Agmina ventorum, primisque excursibus usa
Et struere, atque citare, atque explorare refellas,
Collectasq; suas vires; simulacra ciere
Pugnarum, & facili primū preludere motu.
Hinc simul ac spissas acies in aperta patentis
Aëris explicuere, minaci murmure sese,
Atque alacri stridore hortantur, territus aër
Diffugit, illa ruunt, celerique sequentia raptant
Nubila, convelluntq; fuga, nudantur opacis
Antiquis montes umbris per prona volutis,
Vapulat æquor, & horrendis latratibus urget
Attonitos scopulos, gemituq; fatente timentes,
Ne victi eversis compagibus expugnantur.

Tam præceps aliquando furor: quæ fulmine abeno
Pondera jacta volant tantum, quæ excussa lacerto
Fortis tela Scythæ tanto aera turbine findunt?
Tygribus Hyrcanis minor est, minor impetus anni,
Qui de monte cadit nivibus saturatus & imbre;
Tardius astra meant, grassantur tardius ignes,
Tardius à summo scopulo ruit horrida moles.

Non

Non verò cælum, & terram manus inter oberrat.
Ventorum recto, & librato impulsa meatu,
Alternis sed dissultat sursum, atque deorsum
Motibus, ad summum mox aëra nititur, hinc mox
Præcipitata fretis, arvisque impingitur, in se
Rursus adacta inconstanter, surgitque, caditque:
Assiduis vicibus raptim perculta cavatur,
In fluctuisque insurgit aqua, atque arbusta, segesque
Nexibus inclinata strepentibus excentur.
Qualiter imbellis volucrum si quando caterva
Trans vada lata viam carpit properante volatu,
Tunc si forcè ferox milvus prædator ab alto
Ingruit, & super impendens hostilibus alis
Increpat, illa metu ancipiti depressa deorsum.
Mox ruit, æquoreum sed ibi aversata molestum.
Torporem, mox sursum erumpit, & inter utrumq;
Alternis inconstanter conatibus errat.
Aëra sic summum ventos levitate petentes
Territat æthereas, quæ possidet altior oras
Halituum promota cohors, truditque deorsum.
Aut desperantes, consternatique timore
Ipsi illinc recidunt, animis subitoque receptis
Surripiunt sese terrestria designantes.
Hinc ita compacti, & contrusi fortius urgent,
Cum fremitu, mediumq; per aëra turbine recto
Prorumpunt, silvas proturbant, aquora verrunt.
Non secus Herciniæ nemorosa per avia cervis
Diversa cùm à parte canum latratus ad aures

Appalit;

Appulit, abripit attonitos fuga cæca metusque
Præcipites communis in unum conjicit agmen;
Proruta dant arbusta, & cornua mixta fragrem.
Illud at in ventis mirari mitte, potestas
Tanta in tantillis, quas non comprehendere visis
Possimus, istis particulis qui excellere possit.
In fumo intricata valet discordibus armis
Particularum turba incendia tanta ciere,
Et nequeant istæ concordi fœdere junctæ,
Et conjurato nisu in commune furentes
Talia ab aduersis dum vis compulsa patrare?
Vidistine globus, cannis qui plumbus arête
Ignivomis impactus, in auras impete quanto
Exturbatus agatur, & obvia disjiciat, cum
Tam parvus sese halituum exsinuare maniplus
Constringi impatiens connititur? ænea sepe
Nonne & ab his pœnæ simulacra effracta Deorum
Dissiliunt eluctatis, ignaraque vulgi
Corda stupore replent? quanta illi horrenda dolorum
Visceribus tormenta cident, si quando coacti
Exiguum in cœtum cum spem posuere patentis
Effugii, occultisque illum attentare cuniclis
Vim magna incumbunt, fodicant obstacula, ruuntque?
Quid faciat ventorum exercitus, aëre toto
Diffusus mille in legiones? difficile his sit
Vnanimis quando incubuerunt viribus omnes,
Aera provolvuntque, ruuntq₃, agitantq₃, fugacem,
Oceanum in fluctus suspendere, rupibus altis

Excitare

Excute re arrosos pluviis, tonitruqz galeros?
Ramorum undantes luxu radicibus ornos
Evulsis prosternere, agros spoliare fideles
Pignoribus, foecundam & spem dispergere in auras?
Cum totas etiam (ceu fama est) funditus urbes
Eruerint, delubra, domos, turreisque minaces,
Mœniaque abstulerint secum correpta sub ethram:
Quis ventorum animosa stupendaqz facta per orbem
Edita tot seclis percurrat singula, clades
Quis cunctas memoret, tum qua tristissima passim
Damna truces dederint, nec adhuc committere cessent?

Sed tamen his ipsis furiis sua meta, suisqz
Terminus astrorum consultis definitur.
Quippe animadvertis, imprimis Phœbus in altus
Ventorum, abruptis profusa licentia frenis
Immodice excurrens quando nimis omnia miscet,
Supplicii revocata metu compescitur; hinc vis
Efferat mansuetus, nimia indulgentia regis
Mercurii arguitur, persuadeturqz, procacces
Ut sinere ipse velit famulos mitescere tandem,
Adqz bonam frugem exutâ levitate redire.
Tunc dubiis pudor irreptat, tunc pœnitet illos
Nequitia, & scelerum, furor inconsultus, & ira
Damnatur præcepis; juvat hinc prodesse renatis
Corporibus, juvat orbi afflito impendere posthac
Gratam operam, & certam sedem incoluisse quiete.

Ecce autem illi ipsi errores, furiosaqz turba,
Seditiosaqz, & ad cedes projecta, rapinasqz:

Omnibus à turmis exauferata probatis,
Postquam correcti statuunt resipisci, demum,
Tum frugi evadunt, tantoque vigore serenant
Res, quibus addictæ, quanto non antè fuerunt
Pernicie infesti mundo. Sic justa parentum
Degener indomitæ præceps fervore juventæ
Qui sprevit præcepta, atque omnem luxuriâ rem
Fregit, & in ventrem ingluvie sepelivit, ubi omnem
Spem prodegit, sit vitæ quoque prodigus, orbem
Circuit, & Marti in cædes, scelera, atque rapinas
Prostituit dextram; donec constantior ætas
Occupet, & rectum mens conscientia suscitet actæ
Judicium, & censuram atatis; turbida jam tum
Frigidus erumpit circum præcordia sudor:
Jam dolet, & tædet, jam projicit arma prioris
Cum vitæ modulo, patriam suspirat, & optat.
Certos ante lares canescere, commodus esse.
Tunc sepe ille nepos, qui desperatus habet
Commeruit juvenis, tam vir civis bonus audit:
Tunc quod mancipium spretum evomuere taberna,
Emunctumque bonis ejecerat antè lupanar,
Illiū expallent justum scita ante tribunal:
Opprobrium, & pestis patriæ inconsulta juventus
Cujus erat, decus, & columen consulta senecta est.
O rerum mirande, & inenarrabilis ordo,
O discors consensus agendo, at fine secundo
Consona constanti aspirans concordia motu!
Sic stabili inter se connexa bona, & mala lege
Contraxere,

Contraxere, mali labor, errorēsque, furōrque
In lucrum ut tandem cedant, usumq; bonorum;
Raptent naturae partes mala, sed bona summam
Thesauri certo redditū tueantur adauictam.

LIBER SECUNDVS.

Elices anima, quas incorrupta voluptas
Naturae noscendi operas. arcanaque rerum
Scrutandi monumenta tenet, quas dulcis amoenis
Hic labor exercet studis, nec sine fatigat:
Ius irradiat laetos sapientia vultu.
Uerorūmque bonorum opulentat divite gaza:
Omnia sunt illis, illis subjecta sinistri,
Imperiosa aliis fari, lethique statuta.
Si non immensi, quas submoveare revulsas
Oceanī vada vasta, & quas sol ustulat alter
Possideant terras, quas non videre, nec uni
Mille greges ventri famulantum, nomina quorum;
Nec numerum novere, oculo, nutuque trementes,
Solllicitosque habeant, lassentq;: nec urbibus aquas
Incoluere domos, peregrina sanguine multo
Parte in queis calcantur opes, circumfluus auri,
Gemmarūmque oculos fulgor deludit, & urget;
Perduntur messes Arabum, Phariisque liquores,
& flores Cilicum jugulantur, thura fatiscunt.
Si non insolitis monstris, sudore, periclis,
Qua pretiosa gula proritent ferula orexin,
Et nivis obstupefacta algore falerna retundant:

At se possedere, & cognovere, sibiq;
Notitia innocua Rerum peperere repostas
Divitias, viresque, atque in violabile Verum.
At monstris, vitiis domitis, affectibus, altis
Imperitant animis, quatiuntq; timore subactos,
Parentesque sibi: at mundi praelustria tutâ
Mente palatia habent, & in hujus lata theatris
Insatiabiliter spectacula mille tuendo
Afficiuntur, & illecebris sine fine fruuntur,
Puris, ingenuis, quas nulla injuria, nullus
Asperat, obturbatq; dolor, non egra refutat
Nausea, nec tristi exitio mens saucia damnat.
Nunc illas cœli super ardua tecta migrantes
Concilia Astrorum excipiunt, modulamine captar
Concentus lepidi permulcat Olympica Syren:
Nunc juvat explorare, animo quo quisque Planeta
Hoc, illóve loco in tellurem affectus, ex horum
Quæ Synodi decreta ferant, quid concitet orbes,
Distinctisq; agit et gyris; Hinc rursus ad alma
Telluris remeant oras, propiusq; tueri
Letantur rerum cœli obsequiosa statutis
Mirandis Elementa modis, qua semina cuique,
Vis, motusq; , quid hoc hominum conducat ad usum
In triplici triplicem notum, expertumq; vigore:
Interea it secura dies, inopina subit nox,
Continuoque sopore brevis placide irrigat artus:
Exequata modis naturæ vota petitis
Vsq; benis, ipse sibi que tantum dare possunt.

Atq;

Atque equis animis commendavere, fruuntur.

Vos sequor ô divina anima; incrustata valete
Munera Fortuna, & vanissima gaudia mundi;
Vestro hærere choro me tantum quis dabit imum
Posse, quis ô gustu saltē indulgebit hiantem
Hanc placare famem tantarum deliciarum,
Quæ mihi cor, mentemque omnem sine fine perurunt.
Ingenti desiderio. Tu maxime rerum,
Omnipotensque sator, Deus, hoc Deus alme potenti
Subsidio pretes: tu suscepti hanc quoque partem
Illustrare operis placido dignare favore.
Tax interna animi per te tranquilla, malorum
One externorum posthac contagie propinqua.
Tentata obturbetur, ut hec tua facta quieti
Rimemur, letisque animis celebremus ovantes.

Ergo agè per patrias, & tempora certa, viāsque
Solennes hinc ventorum distinguere gentem,
Cunctorumque habitus, morēsque atque arma notare
Aggredior, stricto petius, quod pectora succo
Parco, sed forti recreare animarēque tentet
Carmine, quam laxo, quod ineptè ingurgitet aures
Insipidâ alluvie, & ventoso pondere tendat.
Gutture concinnum melius philomela rotundo
Quod tornat, variatque melos, quam garrula longis
Que Pandionia volucres epicedia fundunt
Ductibus, abruptoque renarrant murmure inertes.

Principio immensas animo metire recinto
Terrarum tractus, interque fluentia laxis

Oceani vada vasta viis: En quantus in orbem.
Alternis consensu aquas, terramque ligarit
Consertas inter se amplexibus; aqua tuetur
Ambas eterna constans dimensio lege;
Ne facies violata pile communis olympi
Orbibus abludat, nec quæ prescripta tenoris.
Abnormi nota luxurie aversetur amores
Cœlicolum, stabilis curæ est quibus ordo, Quiritum.
Illam ita dispositam molem, librata subactis
Ponderibus stabili seu stet fundamine nixa,
Seu quoque se tacito motu transferre laborebat,
Ambit stelliferis circumfluus orbibus ether,
Et signis certis, certa in statione locatis,
Orbita quæ trito solennis tramite ducit,
Præcipiti tortus vertigine obambulat, ortus,
Occasusq; vices certis discriminat horis,
Et media adversis definit certa dici,
Et nocti sua puncta plagiæ; per certa notandæ
Climata limitibus distinguit mœnia mundi.
Idcirco certis stellarum lucidus ordo
Temporibus certis aspirat partibus orbis;
Instincta lucis propiori intensius instans
Suppositas monet, & vires magis expedit: & sic
Largius inculcat rebus sua signa securis
Quodlibet astrum; ac si radiorum inimica fuerunt
Passæ adversantum convitia, consolatur,
Intercedit, conciliat, firmatque refectas.
Contrà invisa illic divexat corpora rerum,

Disturbato

Disturbatque, suis si non defensa patronis.
Nam verò astrorum fixorum lumine juncto
Curia victa planetarum consentit in acta.
Solis at imprimis, & Lunæ calculus ingens
Pondus habent, terræq; farent propensiūs aequis
Subsidis, si summa sinant modo sidera: que si
Diversum statuere, severius adversantur.
Consignata per hos terris decreta propinquis
Cœlica perspicuis referuntur aperta sigillis.
Hinc quo judicij præatoria cardine mundi
Siderens sua constituit vicina Senatus,
Aut certis spatiis obversa, intentaque fixit,
Ilic continuo vegetatæ fortius aut res
Augmina concipiunt, aut tristi tabe fatiscunt.
Ilic tunc densis, aut nubibus obsitus aër
Horret, mæsticiamque obscurâ luce fatetur,
Aut languente vaporum oneratus mole laborat;
Aut defecato prælustris honore renidet.
Ilic tunc etiam Æolei sua castra manipli
Nondum discreti metari turbida tentant,
Dedita quando sibi senserunt astra secundis
Luminis agnati radiis applaudere: vafros
Tunc animos tollunt, & avert evadere, tutum
Qua promitterit iter porrectis, laxior aër,
Et vacuis spatiis; illic popularia primū
Augmina conspirant, quosq; invenere propinquos
Tunc ibi persuasos atomos, seu frigore tardos,
Seu calidos, seu qui madido torpore grauati,

In comitatum, & subsidium, partem querapine
Sedunt, & quo grassantur in aera recto
Flamine, corraduntque, leguntque, citantq; morantes
Particulas consanguineas, sensimq; coacti
Longius excurrendo acquirunt denique vires
Majores, quo per longinquam magis freta, p[er]que
Terrarum porrecta magis convexa ferantur.

Cen facula certae celi per cœrula lucent,
Quæ pluvias cogunt, certæ quæ nubila ducunt,
Certæ quæ incendunt, acuuntque tonitrua: sunt, que
Contexunt nivium lanas, & grandinis orbes
Conglomerant; sunt, que sicco astipulantur atroci
Lumine: sunt, quarum rigidissima frigoris ictus
Asperat, obfirmatque gravi sententia nisu;
Sunt, que scintillas sufflant, stimulantque caloris:
Sic quoque nonnullas sera experientia certis
Astrologorum notitiis firmata notavit,
Ventorum soleant quæ flabra procacia terris
Incutere, atque suis confusa excurrere asylis
Liberius, quæcunque juvat permittere: tale est
Olenei pecoris, tale est quoque Plejadie astrum,
Turbidus Oceano talis cum surgit Orion,
Talis & Arcturi rapidi impetuosior ignis,
Et quæ præterea consponsis indolis horum,
Notibus affinis, per cœlum plurima passim
Flamma micat signorum aliis inserta figuris.
His vero quoties certis regionibus orbis
Incumbentibus accesserunt certa vagantum,

Lumina

Lumina stellarum, imprimis Atlantidis astrum,
Ilic exsurgunt ventorum flamina, postquam
Ex densâ semet turbâ expediâr vaporum,
Agmine confertoque in apertas aëris oras
Erumpunt, ubi non atomorum inimica resistens
Turma vetat, prohibetque fugâ procurrere recta.

Quid non notitiis etas fecunda probatis
Parturit, humana quid non solertia mentis
Extundit, sibi si non ipsi indormiat? olim
Vix antiquorum intensissima cura notarat.
Ventorum exortus bis senos; tempore nostro
Quos tot nautarum vigilans industria, quot sunt
Fermè orbis partes, advertit, certaque cunctis
Nomina primorum titulis affinia patrum
Imposuit, pariterque obiecta in carbasa certis
Ex oris vocat expectans procedere suetos.
At mihi sexaginta illos, & quatuor omnes. 69
Percensere animus jam non est: parcus usus
Temporis angusti saltem impendetur honori
Primorum hos inter procerum, qui quatuor orbis
Cardinibus regnant, atque à se nomina cunctis
Indulgent reliquis, viresque, atque arma ministrant.
A dextra, lœvâque sitis longo ordine: tum nec
Centuriones hos inter, quos clara potenti
Virtute insignes commendat fama, tacebo.

Ergo animose Aquilo septem subjecta Trioni,
Seu BOREAS dici gaudes, rigidissima sevis
Imperiis qui regna quatit, fortissime Achilles

Ventorum, pelagi domitor, nemorumq; timende
Huc vastator ades; Prima tua magna potestas
Arma, iræ, atq; pedissequum, horrisoneq; cohortes
Nota orbi merito tibi subjecere Monarcha
Fraternas acies, tibi soli iura subacti
Cesserunt maris, & terrarum; cùm tibi vires
Ostentare tuas libuit, fremit anxia tellus,
Axibus eluxatis illam operire ruinâ
Immani fremitu metuit perculsus olympus;
Hiscere non audent contrâ Nothus, Eurus & Auster.
Has autem tantas vires, tantosq; furores
Quid firmat, quid suppeditat nisi subdita terra,
Continuò aspera Hyperboreo quo frigore torpet?
Quam, cùm siderei peragrat sol brachia Cancri,
Transversis radiorum birquis aliquando tuetur,
Orba calore, & luce per anni maxima postquam
Tempora diriguit, latuitq; obtusa tenebris.
Illi suspenso tunc lumine torva vaporum
Ex nivibus, stupidisq; fretis extrusa resultant.
Nubila, condensq; exactas agmine partes
Sideris à radiis, ventis quod præsidet illic,
Horrentesq; trucesq; magis, pluresq; ministrant.
Ex istis Boreæ vis, & violentia crevit,
Illi subsidia ista trahit, quis grandine terram.
Percutit, infringitq; hominumq; boumq; labores;
Quis nive rura operit, quis frigore detinet annes.
Hinc etiam humanis varios inducere morbos
Corporibus persepe solet, cùm longius eras.

Aeris

Aëris assiduo persultat flamine; fantes
Tunc angunt tusses tristi asperitate, dolores
Pectoris, & laterum contingunt, membra procaces
Horrores quatiant, negat obsignatus adactas
Percoctorum alimentorum dimittere burras
Venter, & arentes febris depascitur artus.
Sed tamen has labes longè majore benignus
Officio compensat; ab aere dira severis
Suppliciis tollit fremituq; minace coercet
Pestiferæ fera stupra luis, nec ferre vaporum
Pigritiam, sordesq; potest; qua transit ab acris
Continuò nebulis, patet area pura, recedunt
Dispersæ nubes, sudum micat undiq; cœlum.

Circius, & reliqui dextrum latus, atq; sinistrum
Indigeret stipant, paribus strepit antibus armis,
Succincti Ducis hæc imitantur fortia facta;
Quantum non mollis Zephyriq; Euriq; propinqua
Progenies vires agnæ effœminat ira.

Parte sed adversâ contendit languidus AVSTER,
Auster agens nebulas, æstusq; undasq; procellas:
Triste satellitum morbi, tristesq; dolores
Certatum hinc, atq; hinc proreptant aomine denso.
Segni hominum, pecudumq; oculi caligine torpent.
Aures urgentur spissa gravitate, cerebrum
Oppressum languore stupet, languentibus artus
Nervorum frenis labefacti collabuntur;
Putrida defœdant humentes ulcera partes,
Mentis hebet vigor obtusus, rerum undique vultus

Omnis

Omnis inertis confusus moerore labascit.

Quin & pestifera contagis dira venena

Sustentat, foveat, atque per omnem promovet orbem

Pastaputris scelerorum marcore vaporum.

Ipse quidem, patro quā primus ab orbe profectus

Haud tibi save Aquilo cessit virtute, ferocem

Non minus expertum quā illic fuit antē propinquū

Æquor, & illius fremitu vastissima tellus

Perdomita, has peragrata prius quā exordia Nili,

Et Maraotica regna relinquens attigit oras:

Illic & tunc adveniens exploditur illi

Viribus irrisus lassatus anhelitus agri.

Quae vis indefessa adeo, constantia necat

Indolis usque adeo quenam obfirmata, viarum

Tot, tantasque plagas salvo, insolumique tenore

Roboris intensi valeat quae evincere eodem?

Quae tot sufficiat varias perrumpere rerum

Insidias, morēsque alios, aliōsque furores,

Ne depravetur tandem contagie recepta?

Frustrā à terrenis rebus, quas certa potenti

Sub freno sua forma tenet, munitque, regitque,

Hoc expectas, & quisquam ne severius Austrum

Culpabit, patria quod degener indolis, orbi

Huic nostro invalidis incumbat viribus ager,

Hospes ubique vagus, nec natura ullius heres.

Sic quae primigenio in quo regno flumina fonte

Exivere, marisque in eodem septa subintrant,

Alveo in ipsa suo medio peregrina requirunt

A fonte

A fonte ingenitum, cursu exultumque saporem,
Municipes natus quem exotica turba profanis
Depravaverunt amnes. Sic libera mentis
In quem vis etiam imperitat, natalia regna,
Ut mores hominum multorum noscat, & urbes
Cum juvenis liquit, peregrina, remotaque visit.
Rarius ad patrios idem, meliorque penates
Exacto rediit longarum errore viarum:
Sapiens aut animo admorsus, nec corpore salvo,
Aut morum peregrinorum, vestisque stupenda
Portentis patriâ larvatus in urbe propinquis,
Atque sibi invisus miserabile transigit eum;
Scilicet obruitur rarus, parcusque bonorum
In mundo preventus ab exundante malorum.
Luxurie; Facilis patet ad mala transitus, handtam
Partorum facilis, solidandorumque bonorum
Multo auro tuta, & possessio certa perennat.
Versat, & immutat variabilis omnia turbo,
Terreno quæ inclusa orbi, & quæ pendula ab illo;
Non tamē a recto delirat devius ordo
Censilio, inconcussa illi sua linea constat. (gna,
Nam verò hinc Arabum, Nabathæaque suspicere
Persidique, & latè quæ florida pandit arbores
India opes, quæ lucifero propensiis ortu
Prosequitur sibi dilectas sol aureus oras,
Prodigè & exercet radios in dital letos
Dona, saporiferisque coronat messibus agros,
Vivificisque bilares cellistrat odoribus hortos;

Illic nectareâ vegeti spiraminis aurâ
Permulsus, florumq; alacri redimitus honore
EVRVS ovat, latisq; choris comitatus Amorum;
Lætitiisque, jocisq; salutiferoq; vigore
Advenit, & nostri torporem exsuscitat orbis.
Vindicat à carie, latog; nitore serenat
Aera, collapsum viventibus erigit almo
Afflatu cunctis animum, viresq; resarcit,
Optatoq; fovet, firmatq; teperc refectas.

Ecce autem Hesperio consurgens aequore lentus
Obviat huic **ZEPHYRVS** trepidisq; vagè obstrepit
Et tepido terras languore, atq; imbre resolvit. (alius,
Africus hâc, illac Corus contendit, avitæ
Indolis haud ambo indecores: sed siccior hic est
ABoreæ socius rabidis exercitus iris.

Ille autem pigris nimium emollitus ab Austris
Marset, & infesto contristat flamine mundum;
Pallida morborumq; trahit secum agmina, nec non
Nubibus, & nebulis languentibus induit æthram.

At porrò hos præter Ventos, quos certa coërcent
Ordine prescripto patriæ pomæria regni,
Promittuntq; suo per climata certa vagari
Limite directo, sunt & qui tempore certo,
Ex aliisq; locis, alioq; incedere motu,
Conspicias. Hinc in certis regionibus ortus
Ventus ibidem etiam assiduo bacchatur, & iræ
Exonerato succumbit fervore, nec ultra
Sufficit exhaustum vicina incesser regna.

Nee

Nec minus à certis terrarum tractibus auras
Certas ingruere expertum his, qui insana carinis
Veliferis freta per volitant: sunt flumina, certi,
Quos mittunt: sunt, quos stagna, horrentesq; paludes
Suppeditant. Quidam Pelago consurgere sueti
Affectant terras. Quin & prorumpere quosdam
Murmure terrifico ex specubus, cecisq; latebris
Telluris notum est. Illi claustra arcta viarum
Ingentes animos sese laxare paratos (tit
Quando inhibent, fremitu horrendo, streperoq; tumula
Quassatum miscent terræ penetrale profundum;
Nec mora divulsis, qui desuper incubuere,
Montibus, erumpit sub apertas aëris oras
Incita vis, vastoq; adaperto immergit hiatus
Urbesq; populosq; reclamant lœsa fragore
Attoniti tabulata Poli, freta littora mutant.

At vero postquam extremum tolerantia terræ
Sustinuit brûmale gelu, cum acclivia cœli,
Quæ puer fliades sua terminat humida regna
In convexa redux Phœbeum enititur astrum,
Occiduaq; suis radiis clementius oras
Defricuit; tepidis illinc instructus ab auris
Prosilit, & nostris vegetante FAVONIVS arvis
Adfatu veris propere adventantis amœni
Spem facit; horrendi Boreæ durissima mulcet
Vulnera, quæ telluri inflicta tyrannide, blandis
Fomentis expectati, optatiq; teporis.
Tunc nivibus venit excidio, tunc arcta relaxat,

Amnibus

Amnibus oppressis juga, tunc prolectat in auras
Germina, nascenti tutum segeti aëra spondens.

Illum adventantem volucrum genus omne canorum
Carmine, quod fuerat meditatum tempore bruma,
Excipit: ante alias vegetis super aethera pennis
It cassita, hilarique hilares modulamine cantus
Ingeminat, dirique quiritat frigoris arva
Pressa diu miserans tristi, immixtique rigore.
Nec non & pecudes, nec non reptantia monstra
Gratantur reduci, lato recreata susurro
Ad strepitant, plausus dant versicoloribus alis:
Illius auspiciis albarum inimica colubris
Turba avium reddit, & deserta antiqua revisit
Hospitia; & lato per apricas aëris oras
Se clangore gruas referunt; hyberna relinquit;
Adq; citata suos contendit hirundo penates;
Idalius nova tunc molitur tela cupido
Viventum cuncto generi vegetata per ossa.

Fam verò vos pro meritis quo carmine dicam
Auræ, solennes auræ, quas celsus ab Arcto
Serius expergefætas radiante nitore
Phœbus, hyperboreis cum tabificam increpuit vim
Perculsis nivibus, medias telluris in oras
Evocat, astiferis quas Sirius ardor anhelas
Morsibus appetit, & radiis eviscerat uncus:
Vos tristes fessique greges, vos languida prata,
Vos colles agrescentes, silvæq; perusta
Spirant; vos & Phœbeia Nais in umbra;

Nec non capripedes Fauni, Dryadesq; puella
Lenibus invitant florum fruticumq; flabellis;
Quiq; viator iter carpit, quiq; aequore nauta,
Languida vela legit, vos, vos, ardentibus optat
Attentè votis, & hianti gutture captat.

Tunc simul ac gelidis thalamis vos eripuistis,
Exultant pecudes, respirant arva, coruscant.
Cesariem excutiunt sylve, juga celsa renident.
Tunc celebrare choros sylvestria numina Panes
Et Flora, & virides per prata renata Napæe
Instituunt, reddit exhausto vigor, & decus orbi.

Preterea astivis quos noctibus arva vapores,
Fluminaq;, & nondum stagna uida oblita diurni
Fervoris proructarunt, illi ante jugales
Eoi Solis quam primum Aurora recenti
Hortatur dubias dare terga rubore tenebras,
Promoti pariter tacite funduntur, & AVRAM.
Quem verè dicunt flatum, subducere sese
Aeris in campos concedunt sponte, patentes.

Quanquam autem imbellis, tenuique vigore caduca
illa sit, ut nequeat medii perferre diei
Ignivomos radios; tamen exoptata Diane
Militibus, rapido qui cursu in saltibus errant,
Debellantq; feras, lassis qui pascua tondent
Grata viris, quiq; exossant sua rura juvencis,
Et matutino qui vites tempore castrant.
Illa nec segetes, nec prata carere, nec horti,
Nec nemora alta velint sic mitibus omnia flabris

D

Noctur-

Nocturno torpori, & curis eximit atris,
Divisique hilarat repetitū aspergine roris.

Interea quosdam non secius æthere ab alto
Desuper imbrigenæ nubes emittere ventos
Sufficiunt, quos secum abductos carcere cœco
Ad tempus domuere; sed ut vis fracta morarum
Tutelâ auctior, atq; magis flammata resurgit
Vindictæ stimulis, perfractis, turbida, vinclis
Per præceps cadit in terram prono impete turma;
At verò moliri istud fidentius audent,
Nixibus in pluvias gravidas subsidere nubes
Quando animadvertisunt; nigris tunc ista leguntur
Furtim collibus agmina; postquam incuria nubis
Grata favet: Tunc si tonitru insuper intremuere
Parte Poli adversâ, tunc conclamatur, aperto
Miscetur fremitu cœlum, mare fluctibus horret;
Perq; tonitrua, perq; imbres, perq; ignea rumpunt
Fulgura, si que acies ventorum occurrere tentent,
Pressæ, & diffraicto terræ illiduntur adactæ
Conatu, illa premunt victricibus aquora signis.

Ex horum genere est, qui dictus TURBO Latinis,
Turbo rapax, immanis, atrox, violentius arcte
Pertusæ nubis qui præcipitatur hiatu
Versabundus, vorticibus per inane citatis
Aera torquet agens, camposq; volutus apertos
Pulveris in nimbos subigit, nemorumq; triumphat
Strage rotatorum. Qualis Jovis armiger ales
Æthere seu capream insidians despexit ab alto,

Seu pavidum leporem, celeres connisus in alas
Orbe datur breviore, strepit raptim aura, ruitq;
Gyratis contorta fugis; fixa unguibus uncis
Preda venit natis cœna expectata relictis.
Aut qualis, morsuq;₃ canum, telisq;₃ virorum
Altus aper patulos sese de montibus altis
Ijicit in campos, atq;₃ hinc, illincq;₃ rotatus
Fulmineo rotat ore canes, spargitq;₃, teritq;₃.
Hemiseros, quos ille inopinus in æquore nautas
Securos rerum occupat! hem vix horruit aër,
Nec supereft ratis; horrifone vertiginis æstu
Vela, viri, armamenta latent correpta sub undis.

At quem te memorem PRESTER sevisime, motte
Qui simili in terras aquæ metuendus atroci
Impete descendis ruptâ de nube, coruscae
Flammarumq;₃ faces quatiens fuligine dirâ
Obtundis, vastasq;₃ hominum, pecudumq;₃ vigorem,
Et violas sata leta, & florida prata trucidas?

Nec te transferim, qui turbinis æmulus æthram
Impetis à terra LAELAPS consurgere suetus;
More gruis, subitura altum quæ proxima terra
Aeris, alarum, non suffictura fluentia
Remigiis, gyrorum obitu, atq;₃ ambagibus arctat,
Inq;₃ suum trahit obsequium, medio æthere donec
Sic tandem promotæ eluctataq;₃ volatu
Radere iter liquidum recto fiducia surgat.

Sed cochlea ad ritum cur flexibus aera tranant
Hi venti, cur non patriæ indolis observantes,

*Vt reliqui rectis se obliquant fluctibus acti
Per terram? flli equidem non degenerare paterno
Amotu vellent, sed vis violentior, arcta
Ex nubis portâ quæ præcipitavit abactos.
Percutit, & trepidâ attonitos formidine cogit
Ambiguum hunc & flexivagum instituisse meatum
Invitos, variisq; ambagibus obductantes.
Aer quin etiam, tum quæ spatiantur in illo
Cætibus innumeris variarum corpora rerum
Propositum prohibent, inopinatisq; recusant
Percussa impetibus cedendo viâ dare planum
Quò nituntur iter, deturbatosq; retundunt.
Ecce igitur dum vis impressa in nubibus arctis
Hæret adhuc animis, raptatq; timore deorsum,
Nec sinit obliquum, cum adversis, quos tenet aer,
Ceu statuere, atomis, subito transmittere cursum,
Internumq; pudor recto terrena vigorem
Attinet illapsu premere, & quantum licet illic
Surripit, hinc dictis descendit cursibus usus
Turbo, quos tu nec gyros, nec dicere pronos
Possis, tum nec transversos, nec deniq; rectos.*

*Sed medium intentâ poteris ratione vocare
Hunc motum, qui compositus sit ab omnibus istis
Versuto ingenio, qui in se validissimus, atq;
Adversis minus offendit, partemq; tenoris
Indolis agnatae mira ratione tuetur,
Convulsis relegens sinuosa volumina gyris.
Haud secus intortis complexibus obligat ulmum*

Vitis amata; volubilibus sic tortilis ambit,
Conscenditq₃ pyroshedera; & sic nititur altos
In thyrsos lupulus, cerebrum vertigine quantâ
Sit correpturus, pedibus que vincla daturus
Cincinnis dubiis, tortisq₃ minatus habenis.
Nam vigor ethereus, qui predominatur in illis,
Subjicit in caules semet florentior amplos
Directe alta petens; sed colluctata deorsum
Sarcina terrestris trahit, intorquetq₃ coactum;
Hinc ille ingeniosus in hos contendit obortus
Gyrorum, ac clinis postquam implorata recepit
Subsidia, & fruticis fidissima fulcra propinquus,
Victrici per circuitus tunc ire gradatim.
Altius enī sat agit superasse patroni
Interdum trunci despecta cacumina visus.
Hactenus ergo omnes, quotquot distinguere ventos
Precipiti licuit curā, non sola potestas
Connata in istos motus, cursusq₃ citatos
Promovet, externæ quoq₃, sed violentia causa
Magna ex parte illos stimulat, proturbat, & effero
Tum neq₃ quae per agrant habitusq₃ situsq₃ locorum,
Aeris impulsiq₃ status diversus eosdem
Non variare valent, augere, retundere vasto
Contigni objectu montis, curvoq₃ retusi
Litteris anfractu, audacisq₃ crepidine saxi.
Non secus ac potaturus qui florida prata
Rivus, speratum directo tramite ad amnem.
Eligeret properare, at passim obstipa moratur

Giarea, & obsistunt rigidis saxa aspera dumis,
In sidiosaq; supplantat cataracta frequenter;
Hinc, atq; hinc igitur trepidis ambagibus angit
Discurrens sese, & lapidum altercante susurro
Exprobrat invidiam, & colles exsibilat hirtos.

At vero imprimis violentis motibus aër
Seu per se, seu per quæ corpora sustinet in se
Auxiliatur. Namq; ipsi vis insita talis
Esse videtur, ut à levibus succussa periclis
Otia quamprimum fuerint sua, suscitet astu,
Et latos sese in saltus stimuletq;, citetq;.
Non secus, ac si pacatum descendat in amnum
Ex alto lapis, inflicti vestigia prima
Vulneris in qua parte patent, refuga unda resultat.
In diducta magis, magis & repetita gradatim
Cingula, dum certant sursum levia æquore plano
Componi, & gravia attolli, quæ pristina dicit
Linea. Nil quicquam loca pertransire volutum,
Seu actum, seu sit tractum, seu deniq; vectum
Aere non moto poterit. Stridente sagitta
Quod nervo propulsa volat tanto impete in auras,
Et quæ tormentis jaciuntur pondera, quiq;
Aut manibus lapides, funde aut pelluntur habenis,
Aeris assultu imprimis præstatur; ab illo
Res cunctæ, naturalis sive impetus illas
Raptet, seu vis impellat violenta, voluntas
Spirituum vivas seu fulgure concitet, omnis
Motus subsidium accipiunt: succurere si non

Ille velit, jaceant fixo, immotoq; rigore.
Quippe suas partes, seu qua corpuscula rerum
Continet in moti quacumq; licet ratione
Corporis a certis causis loca subjicit, atq;
Hoc citius, quanto citius depulsus ab illis;
Et sic continuis vicibus magis, & magis aucto
Persequitur successivo agmine corpora mota,
Impetit, & perfert loca per distracta, retusis,
Longo & diffractis procurso viribus ipse
Donec desistat; tum qua promota moventis,
Non meminere ultra imperii, propriiq; vigoris
Arbitriis demum sese afferuere quieti.
Sic quoq; ventorum multum impetus ille timendus
Aeris auxiliis debet. Nam quo acrius iste hunc
Impetit, hoc tanto hic illum violentius urget.

Ac veluti certis cœli cortina rotando
Multiplices orbes erroribus, omnia tellus
Quæ complexa, ciet, motuq; & viribus ornat:
Sic primo motus, quo corpora per loca tendunt
Aut tenui sursum levitate, aut mole deorsum,
Aut variis ex his modulis, quicunq; resultant
Ordine naturæ, vel vi vincente coacti
Promovet, instituit, constanti lege gubernatæ
Includitq; suis metis. Cœlum ordine certo
Pondera crassa gravi vegeta subtilibus aura
Subjicit, & subjecta tenet; qua vincta resolvit,
Quaq; soluta ligat; certa in statione, locoq;
Corpora constituit, revocat, rursumq; remittit.

Præscripta serie distincti temporis; ehen
Si cœlum in motus discrimine, & ordine paulum,
Hæsitet, aut pausam faciat, quām tetraruina,
Ferreus invictoq; sopor terrena stupore
Opprimeret. Cœlum motus, cunctiq; vigoris
Thesaurum celebremus, & autorem ordinis omni:
Quantum quasq; beat cœli indulgentia rerum
Vires, tantum & habent alacris, vivi q; vigoris.

Hinc motu quæcumq; in terris corpora pollent,
Prædicta seu sensu, seu sint exsensa, fatentur
Cœlestis tantum se plus hausisse caloris,
In motu quantum plus prompta valere videntur.
Aliorum genus æthereum primum aspice motu
Quām pernice levat succincti corporis artus
Terrestris contra naturam molis in auras.
Illa evecta simul, quā vis rapit ignea, pendet,
Immemor & legum cœli, & telluris amoris.
Et quis Neptuni gregibus neget esse caloris
Vim vegetam largè indultam? non viderit ille,
Quām sua trajiciant celeri sinuosa natatu
Corpora, quò sese abripiat Dophinus ad astra
Impete, per naves, per veligerasq; antennas.
Non certaverit huic pernice phalarica jactu,
Stridula non valido nervo compulsa sagitta,
Quid verò nemorum Hyrcanorum terror, ubi ire
Excussit rabidae Tigris insita fulmina, quanto
Transabit abjectos Scythicorum turbine acervos
Venantium, pavitantium humi? quis cursibus orba

Natis,

Natis, ut rediens taciturna cubilia sensit,
Persequitur properantē equitem? medio ille reliquit
In cursu catulum unum, hunc correptum ore cubili
Reddedit illa, viam re legit q̄, ut q̄ astitit: ille
Fractus humum ferit, elisus crux impluit arvis.
Pectora quid memorem magnorum animosa Leonum?
Hem quantos irarum animis ingentibus ignes
Evolvunt, rapidis quantus per colla, per armos,
Cruraq̄ tormentis in cursus impetus exit?
Verberibus quis difficiles caudae aera nodi
Exagitant, stimulantq̄ toros per terga minaces?
Vosceleres Cervi, vos Lynxes, vosq̄ Molossi;
Etu, quæ in cursus gens ambitiosa, reclusis
Carceribus palma cum gloria surgit, equorum,
Vos etiam ætherei prelustra dona vigoris
Otentare alaci in motu, cursuq̄ citato
Pergite. Sed nec te volucri crurum Fera motu
Nobilis, Arctoi grata usibus orbis alumna,
Transierim; nullum est, tibi quod contendere cursu
Viventum in cuncto genere audeat; ungula pernix
Increpuit simul ac glaciata per aquora Ponti
Effusus horrisoni certantia flabra sequuntur
Coriq̄ Boreæq̄, fremunt post terga relicta
Tela corusca fœvis. Sic tendens nocte dieq̄,
Juncta trahæ non abrupto indefessa tenore
Diceris in tantum spatii percurrere, quantum.
Non anno possit transmittere fortis equi vis.
Tanta vigoris inest, constantia, tanta caloris

Ætherei vis luxuriat per fortia membra.
Et quisquam Borealibus objectare stuporem
Ausit adhuc patriæ languente calore superbus?
Non vis à terris dependet cœlica, terris
Non tota inclusa est certis divina potestas.
Deniq; quid loquar humanum genus? ànne videmus,
Altior ingenii quos vis, atq; indolis armat,
Ante alios motu pueros, juvenesq; virosq;
Gaudere? illi alacres lusus & gymnica curant.
Ilos aut virides canibus circumdare saltus,
Aut velocis equi cursus, & colla capistris
Prætorquere juvat: Nunc aut contendere cursu,
Aut saltu vegetare artus, aut ludicra pugna
Ictibus edictis simulacra ciere sub armis
Exstimulat cœli calor æmulus: ille paternis
Desertis laribus peregrinas visere terras
Incitat, impatiens otii, ignavæq; quietis.
Ecce animus, mentisq; humane Numen, iniqua
Corporis appensi quantum non pondera tardans
Pernici cœlum sic motu imitatur, ut uno
Momento, quām se latè rerum explicat orbis.
Transeat, atq; uno nictu comprehendere possit
Multa simul, variisq; à se diversa figuris;
Nec delassetur, sed discurrendo vigorem
Exsinuetq; acuatq; magis, quò longius exit.
Quin in se gyros meditando ubi conficit acta.
Mens, veri inventrix Ratio concinna resultat,
Conformis verisibi semper, ubiq; & in omni

Membro-

Membrorum positu, atq; habitu quocunq; viacnae
Quos si corporeus fumus violaverit orbes,
Per cochleam excurrit longè sine fine volutus
Tortilis, inq; sinus Falsi variabilis error.

Nam contrà, aetherei quas deprimit ignis egestas.
Illo aut quæ prorsus res destituuntur, inepto
Torpore ad motum languent, terræq; parenti
Incumbunt prostrate alto, invictoq; veterno.
Ne dicam, supra terram quæ animalia segni
Præportant terreni incessu signa stuporis,
Sunt sibi, quæ imprimis tellus addicta latebris
Occultis fovet, horrenti reptantia monstra,
Torpentiq; habitu, quæ ne vix frigida inanis
Conatu gressus mutare cubilia possunt.
Quin & in humano genere, (heu pudet addere) quos
O si non plures, poteris cognoscere, terre (dam.
In quos sic dominatus agat, torpenta membra
Non saltem officiis vita ut neget, atq; labori,
Suadeat, & longos soles sepelire sopore;
Sed quoq; deturbet solio, sceptroq; potentiæ
Exuat, & sibi subjiciat, cogatq; petulcis
In servire suis venti, iij; gulæq; ministris
Divinam Mentem, & Rationis nobile lumen.

Istos terreni lucri terrena cupido
Degravat, ex terris dira acquirenda voluptas
Terris infedit, & tenebrarum, luce relicta
A tergo longe in chaos, abruptiq; barathri
A mundo aversos meliore immersit abyso.

Incertane

*Incertam circa pradam, fœdisque venenorum,
Obsessam nebulis trepidè reptatur; agrorum
Pondera, propensis montisque abrupta ruinis
Saxa urgent caput; ante pedes inopina paludis
Nequa vorago dehiscat, semper ubique timetur,
Luridus aut vomitu fons vultum obtundat oleni.
Ventorum ex cæcis specubus mugitus ab omni
Parte fremit, larvæ Lemurū, Eumenidūq; tumultu,
Ludibriisq; hominum tanto huic obstare furori
Velle, nec illius vietas se posse fatentur
Dissimulare ultrà invidiam. Sed sordida tantis
Massa luti nunquā ampla satis protracta periclis,
Curis, & damnis majoribus opprimit urbes,
Possessa inter se collidit regna, revellit
Vincula Natura; nil tam inviolabile in orbe,
Aut sanctum existit, quod non queat illa ab avaro
Deglutita animis vici trici infringere amore.
Tanta est terrene obdurata procacia molis!
Quod teteget, prendit, prensum obruit, obrutū opacū
Noctibus occacans eterno carcere claudit.*

L I B E R T E R T I U S .

*Protinus, importent mundo quæ commoda Venti,
Dum furor in cursu est etiam, quibus usibus apti
Interea triplici rerum famulentur honori,
Exequar. Huic etiam parti Deus alme faveto,
Et portum exacto cursu concede carina.
Immense tua quam Bonitas diffusa favore*

Orbem

Orbem amplectetur, quæ gratia, quæq; stupendie
Admiranda modis sapientia cuncta gubernet.
O mihi sufficient si tantæ in carmina vires,
Ductibus ut summis saltē ostentare potis sim!
Quanta hec cung, tamen, tua cuncta potentia nostræ
Ingenii, soli tibi dedita tanta placebit
Tota, tuorum operūque in landes nulla fatiscet.
Tu patriis hominum pœnis delicta coërces,
Sensibus ingratæ licet adversentur amaro
Ille odio, & manifesto inimicum inferre furore
Exitium videantur, adulatrixque dolosa
Corporis indignantis opinio suggestat, actum est;
Attamen utilibus menti benefacta medelis
Consentur merito, & grato exitu amantur amice:
Raduntur rerum exteriora putamina, tutus
Acarie ut nucleus fœcunda augmenta capessat.
Ne pereant interna, externa perire molestè
Heuferimus! tua sed patria indulgentia tanta
Summe Deus, tanta est prudentia, stulta cupido
Nostra, patrocinium ut quantum detrectet, ab illa
Accipiat tanto magis utile, & exoptandum.
Corpora devastant morbi, tristesque dolores,
Luxurie spissâ ne sis focata putrescat.
Mens, nec transvorsum Rationem cœca voluptas
Tramite ab angusto virtutis trudat amanda.
Hic populatur atrox ignis bona, diripit illic
Amnis ab hybernis nivibus tumefactus, avaro
Oceano adjiciens. His iam crudelior hostis

Nudat

Nudat agros, diffundit opes, tecta eruit, urbes
Æquat humo eversas, in cives tristia captos,
Atq; pudenda parat, sevitque immanibus iris.
Sed tamen interea Mentis potiora redonant,
Illi abjecta bona, & quæ proculata jacebant.
Rerum externarum pompâ, affluxuque superbo
Illustrant, cultique novo decorata resingunt.

Hoc etiam in ventis sic cognoscemus, ut orbis
Quam caruisse illis potius duplicata malorum,
Quis saevire solent tormenta pati voluisse.

Inceptiens doceo, communib; undique mundo
Terreno quibus officiis prodesse laborent
Ventorum turme. Nam sic divina potestas,
Et rerum Autoris sapientia summa locavit
Tellurem, atq; illo Phœbeum tramite lumen
Signiferi super induxit: sic cetera miro
Ordine disposuit per castra nitentia cœli
Sidera, seu vaga, seu quæ fixâ in sede morantur;
Ut certis vicibus per tempora quatuor anni
In mundi regnis, modo nox æquata diei
Horis contendat paribus, mox victa revulsis
Tabescat spatiis, quibus amplificata receptis
Laxentur sensim letæ compendia lucis;
Mox iterum exacto hæc mutiletur tempore ab illo,
Producto contrâ tenebrarum horrore tumente:
Atq; ita nunc calor hic languentia membra perurat,
Et pecudum, atq; hominum prosternat corpora, at illis
Torqueat infesto frigui torpore sinistrum.

ffili

Itis ne verò in vicibus mora longior ob sit;
Unius atq; ingratia rei fastidia in usu
continuo creet, à diversis partibus orbis
Diversi effectus ad portant semina Venti,
Et terris donant aliis. Quas frigoris horror
Afflictas habet, afflatus vegetante vaporum.
Solantur tepidorum, & pondera vasta rigentum.
Suspendunt nivium, alternoque levamine tollunt.
Contra quas rabidis flagrantior ictibus aestus
Vellicat, obfirmant gelidi spiraminis aurâ.
Est, ubi terrarum macies exsucca vaporum.
Indigenarum in proventum non sufficit ex se;
Stellarum aut radiis inhibetur prompta facultas
Ad redditum pluviae ob signatum expendere censem.
Ne interea illarum situs implacata gravescat,
Interitumque ferat, pecori que, herbisque satisque,
Cautio ventorum est: illi peregrina per oras
Aeris impigri converrunt nubila, passim.
Quae super has in vecta arborum vota petitie
Imbris, & nivibus fœcunda tabis opimo
Lentore acceptis implet; & tegmine veli:
Inter ea dum parturiunt, avertere solis,
Astrorumque student radios, irasque feroces
Declinant; sensim suspiria crebra satorum.
Componunt, potus inopini ne obruta avaris
Haustibus immergant sese, noxamque sinistram.
Consciscant. Tum nec, postquam peperere, recedunt,
Hic et intenti subito ne spicula solis

Eripiant

Eripiant venis, rorantem & canibus imbreui;
Et sic pejorem morbum vexata cupido
Inferat, & fauces majori strangulet aestu.

Illi etiam nimium pluviarum stringere luxum,
Sicubi terrarum impense, assiduoque redundant,
Et differre solent late per dissipata regna.
Irrita cultor agri quoties sua vota perisse
Ingemeret; cui continuis aut eruta ruris
Deposit a imbribus in rivos, pelagusque propinquum
Profluerent; aut que vegetis cervicibus altæ
Promiserent modo segetes plena horrea, aristas
Lucriferas meditando, modo palloribus usqæ
Crudis ante diem, desperantesque maligno
Decoquerent redditu; nisi tempestiva petitis
Ventorum vicibus solertia tolleret imbres,
Redderet & , quoties opus est, poscentibus arvis.

Fam quantum officiū est, quod, ne languore quietu
Ignave vitium faciat, tristem aera latum
Constituunt agitando, ex quo spirabilis aura
Cunctorum vegeti viventum alimenta vigoris
Haurit, & illo agro egredicit, florente virescit,
Torpescit torpente, negato oppressa fatiscit.
Pestiferorum atomorum illi vietricibus armis
Dira latrocinia, insidiasque, ferasque rapinas
Compescunt, abigunt, quos comprehendere, trucidant.
Principis eximio merito laus digna canenda est,
Qui, nemora insidiis fuerant quæ infesta latronum,
Tuta viatori seculo præstat: ac orbem.

Ventorum

Ventorum reddit quā totum industria tutum,
Hoc præconia quām longè majora meretur?
Hostes quæ tales tollit, quos ferrea quamvis
Mœnia, nec turres possunt avertere ahene,
Sensibus, ingenioq; acie stabilita cavere
Non prudentia, non virtus animosa domare;
Qui non in certis lustris, sed ubiq; timendi,
Et populis, pecoriq; , avib;que gregiq; natantum.

Nec minus optatis Neptuni vasta fruuntur
Regna ministerius ventorum: arcana profundi
Atria limosa torpedine consternata
Horrenerent, spissis obtusa cubilia tristes
Sordibus aversarentur Nereides: undis
In lentis se squamigerum exercere natatu
Non possent armenta, & pabula putrida buccis
lejunis fastidirent: viventium in usum,
Et cœlum in terris corrupta quiete salubrem
Non aqua traduci posset; si flamme venti
Alterno non excuterent ignava veterni
Nubila, proclivis pelagi torpentibus undis
Fluctibus exsinuent, quæ delituere, pericla
Pestiferæ labis, vitreum expoliantq; nitorem.
Hinc videoas horum lati immania cete
Exultare sub adventum discursibus, altis
Desertis stabulis summum se inferre per æquor,
Atque suos scopulosis præudentia fluctus
Tergis tollere, caudarum invitare morantes
Velis jactatarum ingentibus, oris hiatu

E

Vasto

Vasto flumina in occursum ejectare sub astra.
Tunc veloce more impatiens se librat in auras
Factu Delphinus, patulo suspirat hiatu,
Spumosoque vocat fremitu; omnis turba natantum
Summa petit, tremulaisque eventilat incita pinnas.

At neque terram exheredem fecere suorum
Subsidiorum venti: occultis fœda cavernis,
Angustisque locis si quæ excrementa refudit
Ipsa vel accumulaverunt animalia, tetris
Dispersis minuunt fumis, reprimuntque nocendi
Propositum, conspirantes turbando cohortes;
Et communibus incisis, fractisque per auras
Viribus abripiunt disjectas undique fraudes.
Nugamenta situs fatui, canamque senectam
Detondent glebis, & spiramenta tenacis
Glutine ab humoris referant occlusa, vapores
Cunctantes circa terram quo scunque sinistros
Mulcent, inq; auras longè, latèque relegant.

Quin & in occultis terræ florentia venis
Horum percipiunt etiam benefacta metalla.
Quippe poros laxant, & respirare, venenis
Pressa suis, placide indulgent, cunabula sternunt,
In quæ decumbant, & ritè recentia crescant.
Alveolos illi succis terebrando tenellis
Edificant, monstrantque, faventi murmure tardos
Invitant, & deducunt; teneroque lapillos,
Laetentesque fovent gemmas, & flamme forte
Confirmant, solidant; agros humoris inepti
Extergunt cariem, & pulsâ fuligine comunt.

Porro

Porro, Plantarum genera omnia, quotquot in au-
secundo tellus gremio profudit, ad astra (ras
Sipite seu valido, atque alto tentoria tollant
Sustentata suarum umbrarum, nana fruteta
Seu quæ pre texunt campis, contenta levasse
Et terrâ frondes mediis per inane staturis,
Seu quæ se teneris ab humo non altius audent
Caulibus erigere, & nimium confidere aristis;
Sed vario foliorum, & florum emblemate montes,
Valles, prata, hortos, silvas submissa colorant,
Aut latis reddunt venerandos messibus agros,
Depulsura saginanti jejunia succo;
Ventorum imprimis operas, cultumque requirunt.
Quanquam fasciolis veris vegetata teperc
Germina vis genitrix primò expeditissim laboret;
Sola tamen non perficere, & committere cœlo
Maqueat, nisi ventorum spirabilis aura
Porrigeret studiosa manum, incumbentia terræ
Pondera disjectis claustris deuolveret, agros
Sudorum affluxus, & fastidita vaporum
Nubila discuteret, superi nondum acria fibras
Aeris expertas levibus momenta doceret
Motus ferre rudimentis, & poscere vietum
Pingue penu in Matris tutò radicibus actis.
Non secus infanti, postquam viatrice vigore
Auctior exsurgens calor indignatur ab artis
Vincis induviarum augendos stringier artus,
Sedula succurrit nutrix, sensimq; relaxat

Vincla molesta, rudes dubio affectantia motus
factu brachia confirmat, moderatur, ineptos
Crura gradus indulget balbutire, mamillis
Subtractis inhiare cibis condiscere cogit
Ora tenella, & membra reiecta assuefecit apricis
Cœli auris patrii, & gestandis vestibus aptat.

Hinc adolescentem ventorum cura vigorem
Plantarum graviore, & cultu, & robore nervorum
Obfirmatarum commasculat, ardua thyrsi
Fulcimenta vagis luctis solidata propagat
In plures ramos, atque exerceendo jacentis,
Cunctantisque famis ciet, & proritat hiatus.
Ut sic larga magis per inanes didita venas
Nutrimenta aucent, justam absolvantq; saturam,
Nec subito occumbant imbellis tristibus artus
Frigoris, aut aestus, pluviae, nivisve periclis.
Nonne vides quercum, nemorum quæ ejecta theatri
Possessum largis campum sola occupat umbris?
Aut pinum, quæ nubiferâ temeraria rupis
Fronte sedet, cœli tentatis se objicit iris
Contemti dudum, valido quam stipitis altae
Robore precellat, tristi & livore perurat
Infirmas, cohabet quas silva in valle, sorores?
Quam magis invictis comprehendat saxa, solumque
Compedibus radicum, & quam inviolata rigenti
Corticis excludat loricâ frigus, & aestum?
Scilicet assiduis patuit magis obvia ventis,
Et jaclata avide magis hausta alimenta per artus

Digesit,

Digessit, spissisq; infernit adacta medullis.

Quid memorem gemmis foliorum informia venti
Quam placide extricent, replicentq; volumina, pectat,
Disponantq; comas plantis, atque ordine fusos
Constituant cinnos, contracta theristra retusis
Exsinuent rugis, viridantia syrmata pandant.
Sustententq; gravis nutantia pondera molis?
Fili purpureos apices, roseasq; tiaras,
Aureasq; evolvunt florum calienda, nitentes
Extendunt calyces, redimicla tenacia figunt.
Nee non & roris teretes, pluviaeq; trementes
Guttas distribuunt, & certa lege propinant
Divisas, labes fumorum, & pulveris arcent.

Vos verò viciæ, languentia pisa, lupini,
Bacchæ frutices, cucumis, convolvule, tortis
Et quæ præterea plantæ connectere loris
Vos aliis natæ, caulis languore retractæ
Non assurgere humo, columen nec consequi amatum,
Capreolis refugas frustra prensantibus auras.
Possetis, nisi ventorum vos motibus actas
Ambiguis industria suscitet, inq; propinquos
Promoveat thyrsos, aut hos succurrere vobis
Cogat compulsos, inclinatosq; dolosis
Vestrīs nodis se induere, & vos ferre levatas.
Qualiter immodico cerebri qui frena Lyæo
Laxavit, cui crura suum præstare recusant
Officium, socii dubiis cervicibus amens
Nictibus inclinati, & eadem nube gravati

Involvit sese, & lapsantes sustinet artus.
Aut veluti pelagi ratis expugnata furore
Cum perit, & nando querit sibi nauta salutem,
Injicit invalidum fluctus quandoque valenti,
Arcto quem ille ligat complexu, & fimbriae adhaeret.
Comprehensæ vestis trahitur telluris ad oras.

Præterea, postquam mature etatis adulta
Exegere dies planta, firmataque plenis,
Et percocta ferunt uteris sua semina, flexis
Ostendunt ramis maturo cortice fructus,
Partus exonerari ingrato pondere poscunt.
Nixibus at propriis loculi perrumpere claustra,
Cauliculique sui indociles dispellere motu;
Expectata illis, tempestivaque petiti
Venti operâ obstetricantur. Ceu sedula mater
Incubitus operis volucris defuncta, recenti
Tinnitus, motuque ubi vita signa dedisse
Perfectæ sensit sua pignora, lœta tenaces
Sollicitat suspenso testas forcipe rostri,
Pertundit trepidans multum, removetque, putat
Implumem & turbam connatis ordine vittis
Exuit, & tepidis, & amantibus induit alis:
Sic venti attento plantarum flamine circum
Matrices gravidas studiosè multa moventes
Discurrunt, omnésque modos, aditúsque juvandi
Explorant, omnésque artes, omnémque laborem
Expediunt, adhibentque, ut conniventia clausa
Cardinibus referent, & quæ connata revellant

Tegmo

Tegmina, tum gremium renuentia semina matris
Deseruisse adigant tellurem excussa subire;
Tum quoq_z distribuunt, sparguntq_z per arva, teguntq_z
Obductis glebis. Hinc quædam semina mole
Quæ ingenti languent, aut frigida, siccâq_z valde,
Aut calida exposcunt & multa alimenta propinquis
Componique negant spatiis, subtilibus alis
Papporum semet ventis committere cernis;
Motibus abrepta ut levitatis obaudiat horum
Corporis in longum differri haud promta sagina.
Non secus ac pennæ levitate adjuta sagitta,
Longius affixum sustentat in aëre ferrum.

Sape gravat foetus fœcundum prodiga tantis
Arbores genus agminibus Pomona, ferendis
Flis ut nec alendis sit, pressumque molesto
Fasce gemat, devexo ad terram pondere rami
Procumbant lassi, detesteturque vigorem
Fœcundum genitrix, partique precetur abortum,
Interitumque suorum pignorum, ut ipsa supersit.
Salva aliquâ cum parte benignius ubere alenda
Sufficiente, saporum & dotibus exornanda
Cultorum gratis, magis acceptisque palato.
His tantis, tamque utilibus miserata petitis
Ventorum quoque cura satisfacit, urget onus.
Conquassatque agili ramos motu, ilicet imbris,
Grandinis aut streperæ in morem detrusa feruntur
Ad terram, fuerant quæcumque superflua poma,
Et glandes, baccæq_z, nucæque, gravesque racemi,

Ferculaque insectis, pecoriique optata ministrane.

Denique pratorum speciem, nemorosaq; tempe,
Ruraque commandant venti, dum torpida, motum
Quæ ignorant, vegetis inter se flexibus acta
Committunt, stimulântque agili plantaria lusu.
Fluctibus evolunt segetes, viridésque capillos
Silvarum jactant, animantq; in murmura ovantes.
Quod si non facerent, quantum decederet orbis
Ornatu, & decori: stupor & taciturnus ubique
Horror terroreret: sed jam quando omnia flabris
Terrarum, & pelagi loca per volitare laborent,
Lumina quo cunque inferimus, spectacula nobis
Ex spatiis antibus objiciunt per rura, per hortos,
Et per Silvani ramosa palatia, pérque
Monticulos, vallésque cavas, & flumina juxta.
Hic alternanti se grama lata laceffunt
Assultu, foliis illic applaudit amoenis
Herbarum variata cohors, lepidisque cachinnis
Exultat succussa: hic sese cana flagellant,
Exagitântque salicta; illic hilari annuit ore
Floris odorus honor, garritus ubique jocosus,
Blæsus ubique susurrus, ubique resultat amicus
Sibilus, ex silvis, & agris, & montibus altis.
Parte alia crisspis stagnorum fluctibus unda
Vermiculata fremit, cœlum, silvásque propinquas
Nictibus alternis spectanti reddit & aufert
Divulsi ex speculi tumulisque, cavisque retortis.
Et tacite ripas aut oscis lambit amicis,

Rictibus

Rictibus aut spumosis turbida provocat haustas.
Hic singultant cava littora, fauibus atris
Adpulses, & fractos rejectantia fluctus,
Et gemitu, atque ululatu, mugituque stupendo
Suspendunt aures, animumque erroribus implet.

Non vero indictum transibo, animalia venti,
Insuper & propriis, præter quæ dicta fuerunt,
Quantis afficiant meritis: fuliginis imis
Corporis ex latebris venis erumpere suetas
Eliciunt nebulas, per spiramenta reclusa,
Discutiuntque, & spirituum vegetante phalanges
Consuetudine confortant, prohibentque caloris
Scintillas nimio excursu, lenique susurro
Inducunt placidi blandissima nubila somni.
Ah quoties aliquis, cui torret amore medullas
Principis insidiosa Paphi, atque optata tyrannis.
Aut cui diffindunt animum, rapiuntque molesta
Sortis in adversæ nimbis curæ, acribus aut quem
Disperdit facibus febris morosa caloris,
Et delubra dolore fero dat vasta cerebri;
Pervigil huc, illuc nequicquam languida versat
Membra toro, dum nox medio validissima cœlo
Spiso constantes expandit utrinque tenebras
Agmine, suspirans absentem ardentibus optat
Continuo somnum votis, somnum omnis anhelat
Spiritus, a somno sibi solo certa dolorum,
Et curarum promittit solamina: somnum
Una sonat vox: somne veni, placidissime somne,

Curarum medice, atque dolorum victor amice.
Somne veni, veni amœne dator, tutórque vigoris;
Pars melior vite, adversantis lene sepulcrum
Fortunæ, ô dignare tuis renovare medelis
Sedes eversas, desolatásque cerebri:
Somne veni, somne alme veni, spes una salutis.
Irrita sed densis vota absorbenda tenebris
Sparguntur: sëpe accessum intestina parentem
Fumorum excludunt abiguntque incendia somnum.
Ecce autem, quod non præstare papavera possunt,
Non rosa, non violæ, non mitis frigidus humor
Lactucæ, non Nymphææ solanique liquores
Admoti toties, hoc præstat denique ventus,
Ventus dum altercat trepidantes ante fenestras,
Garrituque fores perreptat inerte gementes.
Quippe volutatus, thalamum qui permeat, aër
Insolitâ hâc specie motuisque, sonique, per aures,
Et fances, tenuësque poros penetrale subintrat
Corporis; atque illic sensim subducit a furentum.
Leni componit suadâ orgia dira vaporum.
Inq[ui]sui amplexus, & notitiam avocat auras
Sensificas; calor hinc laxata interna revisit
Viscera corporis, & mites ex mitibus escis
Suscitat, & cerebri conscendere tecta vapores
Permovet. Illi communis vacua atria sensus
Lustrant mansuetis choreis, arcta ostia claudunt.
Sensibus obtensis strophiis humoris amici.
Hinc sopor invitatus in omnes profluit artus,

Lumina clauduntur, destructum membra vigorem
Strata suum reparant, curæq; dolórque premuntur.

Postremo quantum vitæ civilis ad usus
Se studium ventorum accommodat? ire per omnes
Artificum si operas vellem, producere plures
Possem, quos conservando, solidando, domando,
Siccandóque, juvent formandam legibus artis
Materiam, quam illis quibus hand opus. Et neq; si hoc
Vnum instar multorum, atq; utilitatibus almis sit,
Fæcundum hoc meritū, populos, atque oppida ventis
Promotoribus optatis obnoxia reddat;
Fluviorum quod defectum Cerealia dona
Comminuendo agitatorum lapidum aspero ab iectu,
Sufficiente operâ complent. Porreßta sub astra
Quatuor alarum vastissima texta potenti
Assultu comprensa rotat, raptatque deorsum,
Et sursum alterno conamine trudit adacta,
Inq; suos strepitus revoluta agibilis aura.
Hinc intus parili correpta molæ organa motu
Irritant fremitus lapidum, morsusque rigentes
Impingunt suppōstis frugibus extimulatos;
Quas subito in tenuem fractas callosa farinam
Labra spuunt, hominum consueti ad commoda viellus.
Est ultra Scythiam, atq; extremas Persidos oras
Eo primo tellus exposita calor;
Solis, amœna, ferax, & nobilis arte virorum
Ingeniique bonis, Chinam dixerē recentes,
Navigus, quibus illa relecta, & cognita nuper.

Illic

Illic, (ut perhibent) levibus subfixa quadrigis
Indigena ventis dant vela per aquora campi.
78
Quæ simul ac tumuere, volat (mirabile visu)
Currus in arva viris, & opimis rebus onustus,
Ocyer à validis quam si pro tractus equorum
Viribus, aut rapido tormento expulsus abiisset.
Quid magis expectandum à ventis, quando labores
Servilesque vices etiam nec obire graventur
Fumentorum, haud impensis nec tatio alendi?

Attamen & suprema & maxima cōmoda restant,
Quæ generi humano venti præstare laborant.
Inferioris Natura pars altera, quantas
Immensi, Oceanus, gazas, repetitaque rerum
Possideat monumenta, per ardua regna profundi,
Quæ miracula, quæ spectacula lata stupendis
Intra, extraque modis tegat, ostentetque, laterent
Ignota humanum ingenium, imperfectaque summi
Notitia artificis foret, & non cognita plenè
Cunctorum illius ex operum sapientia formis;
Munera nec summae bonitatis plena fuissent
Percepta, & totum communia facta per orbem,
Dispersis populis; si non ventos quoq; mundo
Donasset rerum optimus ille & maximus Autor.
Quanquā autem nulla est tam vilis, & horrida tellus,
Infelixque adeò sub Solis lumine, quæ non
Ex proprio quæsita sinu, depromtaque posset
Divinae bonitatis, & omnipotentia abunde
Argumenta dare ingenii, ostendere rerum

Totius

Totius summae occultis simulacra figuris,
Seminaque omnimoda sapientiae aperta doceres
Et quae progenuit proventu animalia victus
Sufficiente famis tristi defendere tabe.
An sibi que similis totum est expansa per orbem,
Internas quantum ad vires divina potestas
Integra non sit ubique? an que huic aequata tenore
Immenso bonitas constans, & summa minuta,
Et restricta aliis, aliis diffusior oris,
Majorque existat, nativi ad commoda quantum
Victus, præcipuoque usus satis, atque necesse est?
Vtraque sed tamen externo nescenda paratu
Majori, illustriq; magis prelucet, & extat
Perspicue magis ad sensus, & largius usus
Ad varios, gratosq; magis, pluresq; redundat
Terra alia atq; alia. Revolubilis Amphitrite
Monstriferis specibus, vastisq; abstrusa barathris
Quæ tenet, illa eadem non profert talia tellus:
Et quibus hæc scatet, illa caret. Tamen omnium in unum
Communis quod summa locum, terrasq; per omnes
Diditur, & præstò est totus passim orbis in urbe;
Prima ministeriis debetur gratia tantis
Ventorum, quibus horrisoni quos abscidit orbes,
Disjectosq; aliis subjecit longius astris
Neptuni medius furor, atq; freta inuidajunctas
Connectunt rursum officiis, & mutua rerum
Congenitarum per commercia, perq; verendum
Religionis cultum, artesq;, & fædera legum.

Ergo

Ergo quamprimum verni tepida aura Favoni
Brumali glacie cataphractos exuit anones,
Sub terras pepulitque hyemem, tacitura revisunt
Cantu certatim lato navalia nantæ.
Otia continuò hyberni obfirmata stuporis
Navibus excutunt; Satis explorata carina
Desuetis rursum rigidis succingitur armis:
Mercibus exsaturata suâ jam mole stat alvus;
Jam frenata suis fera rostra rudentibus aquor
Præsumunt, jam summa suis carchesia malis
Instrepitant, ventosque vocant ampliustra morantu.
Qui simul ac flatu à tergo insiluere secundo
Vela repanda tument, sequitur retinacula raptim
Anchora tracta vadis, ruit ilicet in mare classis,
Et monitis attenta sui clavi impete recto
Spumosos fluctus, indignantesque revellit.
Parva mora est, & jam circum nullâ undique tellus
Apparet, pelagi tumidis abscondita tergis
Omnis abest, instat cœlū undique & undique pontu.
Hic quis ventorum studium, viresque stupendas
Miretur satis, aut dignè commendet? onustæ
Tot classes, tantæ moles, opera urbium, & orbis
Alterius, primaria opes, per maxima mundi
Climata, circuitumque omnem tam præpete cursu
Abripiuntur, Solis equis contendere ut illo
Sæpe queat navis, totum circum undique mundum
Pervolitet, bis sex dum Signiferi ordine partes
Fili conficiant, citius sæpe occupet, ex quo

Vela

Vela dedit, portum, quām quo exivere. **Ducatus.**
Hic tunc pariter pomeria tangere possint.

Quæ solertia? diversis à partibus orbis
Millibus instructis ponti cursura carinis
Indique initur, & alternis tamen omnibus aquæ
Subvenit officiis ventorum accommoda virtus.
Qua Scythici pelagi glacialia littora radit,
Magallanica quæ tranat freta, quæq; per æquor
Per sicum, Erythraūmque, & quæ Gangetica tendit
Per maria, Aegeosque sinus, Libycasque lacunas,
Et quæ Afros atque Æthiopes, quod circuit, errat
Æquore, & immensi que Atlantica marmora fin-
Et Mexicanos, Peruanosque ardua fluctus, (dit.
Omnis in optatos portus experta fidele
Ventorum auxilium lato clangore refertur.
Et si non licuit pelago simul omnibus uno
Hac illâcque prefecturis directa secundis
Plena tenere animis vela, eluſosque sequentur
Effugio pernice relinquere fluctuum hiatus,
Antevolutatōsque frementi prendere rostro,
In diversaque disjectos disperdere montes,
Non tamen omnino neglectæ, omnisque remissis
Subsidii velis inopes sedere, tenaci
Anchora dente vadis quæ inficta excurrere quoquam
Obtortas vētuit. Sed quæ largissima totum
Latè per mare profusis sese obtulit auris
Ventorum vis obliquis, adversa licet sit,
Non tamen interea refugit succedere velis,

E

Et subcesivis operis prodesse rogata:
Quis promotæ unâ repetita triangula naves
Per spatiæ eluctantur, & incursantia pronis
Fluctibus aquora transverso vitare laborant,
Et transire obitu laterum, furtimque propinquo
Hinc magis, atque magis portum contingere cursu.

Quin sunt, quos recto adversas simul impete naves
Venti adversantes surreptas per mare subter
Subjiciunt retro, & quæ procurrere, remittunt.
Nimirum fluidi pars agminis infima doctis
Insidias dum velorum sese induit, ultrò
Concitat in se revoluta, retortaque, quantum
Privatæq; valent vires, connisa carinam
Subtrudit, summis tantum ignoscensibus auris.

Interea hinc atque hinc rerū miracula virorum
Obversata oculos tenuere, animūmque stupore
Devinctum in magni laudes rapuere parentis.
Vastum, immane, ingens, tumidis sublime fluentis
Attinet effrenes animos mare, concita metas
Præfixas exire vetat freta, parcere novit
Terris, in medio quæ se exeruere profundo,
Littora quantumvis nequicquam obstipa fatigent,
Spumosiq; minace obtundant murmure fluctus.
Ecce ista Oceani moles immensa, barathris
Abstrusisq; altè specubus fundata, suisque
Ponderibus vastis valide subfulta, rotatos
Non aspernatur cœli revolvilis orbes;
Sed curat quoque velle sequi, quò ducere sentit

Mos juratas sibi aquas : connititur ergo
Occasum versus magno molimine ab ortu,
Quantum porrectis non invadentia saxis
Littora, terrarumque specus, sinuumque recessus
Impediunt, propriique abdomen corporis ingens
Egro urgens languore, & inepto pondere tardans.

Nec minus interea, hoc circum terram undique
Non interrupto tacite dum serpit, amori (motu)
Rectricis Phœbes Nereus vacat : Hæc sua pleno
Ostendit quoties ora integrata nitore,
Ille vadis desiderio fervente calescens
Arrigitur toties fundoque exastuat imo,
Vix ut se capiant celso ampullata tumore
Pectora, & effuso proculcent littora fastu.
Sic quoque luxuriat solito distentius idem,
Fratri in amplexus quoties cæcum illa recepta
Occiput obvertit terris. Quin culmina cœli
Terram infra, seu supra illa occupet, assecia motus
Hic quoque collectas illuc simul abripit undas,
Littora detegit ; & postquam est comitatus ad oras
Occiduas inclinantem, refluxente remittit
Suspensas allapsu, littoribusque, vagisque
Fluminibus, quibus has profugo substraxerat æstie.
Illum alternanti hoc se se in diversa refluxu.
Subducentem, & permutatim prima trahentem.
Affluxus sua per vestigia lubrica gressus
Destinet oppido paßim aggere terra, fretisque
Arctatis inhibet, celeri quâ percitus æstu

Perrumpit fremitusque & murmura vasta volutat.
A Boreâ ille lacestitus quis fluctibus astra
Succutit, in quantos montes, vallésque profundas
Trajicit, alternoque volumine substituit se?
Quos strepitus, quos immanes ciet ille tumultus?
Sed patitur classem tamen, illa volatilis altos
Proxima sideribus modo fluctus transit, ad imos
Præcipiti Manes modo lapsu fertur, ad astra
Mox redditura, suum quod monstrant sidera rectâ
Radit iter, terras pelagi secura tremiscit.

Cum venti posuere iras, æquata renident
Marmora, cœlum atq; hec inter gratissimus error
Exultat, color & conformis splendor utrinque;
Congruit, & geminus suprà hic, ille impetit infrâ
Lucifluis oculos radiis Sol: oscitat aër
Omnimodi vacuus strepitus, motusque, sonique;
Donec de vitreis surgentes Doridos antris
Cœruleum lœtæ jungant Nereides agmen.
Illa pernici venientibus altanatatu
In cumulos collecta fluentes æquora cedunt,
Atque vagis assultibus alludentia palpant
Lubrica, quæ liquido pellucent, pectora, fluctu.
Æquorearum aliæ sublimes vasta ferarum,
Terga premunt; aliæ siccant in cote capillos,
Exercent humeros aliæ, & rorantia jactant
Brachia; responsat repetitis plausibus æther.
At parte ex aliâ virides Tritones inerrant,
Quaq; citat conchæ patulo tibicen hiatus

Ranck

Rauisonum eructans clangorem, quassa profundi
Quo antra tremunt, reboant scopulique, & magnus
Olympus,

Continuo ad properant; animis, immane, petulcis
Quis ruat, injicitur certamen, in agmine primus,
Altius in spumas quis percita cœrula tollat,
Transmittatque magis veloce quis impetus fluctus.
Integra non jam ultra longo consumta natatu
Vis labat, & longi suspendunt ilia flatus.

Pars victrix postremâ aspergine leta triumphat,
Et fessas pandit pinnas, aurâsque supina
Captat, sed victos cæcis pudor abdidit antris.

Maxima tum vastâ se mole moventia cete
Evolvunt vada salsa horrendis turbida candis:
Physeter, Tiburoque, Dracóque, Orcásque repanda
Rhinoceros, Springualq; ferox, Manatusq; timendum.
Et Pristis, Mórsque immanis, Phocaq; trucésque
Balene, aquoreique Apri, saevique Leones,
Ceteraque innumeris Proteus armenta figuris
Innumera Oceani vastis que pascit in undis.
Plainte sese variis discursibus acta
Exercent lusus, aut horrida prælia miscent.
Ecce inimicus, atrox, Gladius cognomine dictus
Hostis adest, non magnus mole, sed arte, sed acri
Cuspide præsignis, Balenarum agmina præ se
Turbat agens, tardas subtérque ingentibus alvos
Ftibus ocyor haurit, it astris clamor, & ingens
Mugitus, geminique fremit penetrale profundi.

Ardescunt longè profusa imbuta cruento
Æquora, & incessunt cœlum convulsa furenti
Murmure, sublatisque urgent, turbantq; fluenti.
Squamigerum hic quidam è genere aera præpet
tranant.

Remige pinnarum: hic Echeneis, sepia, pecten,
Versicolor gens concharum, Torpedo, patella,
Purpuraque, urticæq; unguésque, chamaq; patentis,
Et Cochleæ, & Mytuli, & Cancri, Gemmaq; nitentes,
Naturæ in parvis miracula maxima rebus.
Hic sunt Asphaltum, Ambra, Corallina, Naphtha,
Bitumen,

Ceti sperma, Salis flos: Et quis singula pandat
Munera, divitiásque maris? Jam consita cœlo
Suspendunt scopulorum oculos juga, mira colorum.
Adstupet hinc, illinc species sua cuique, suísque
Cuique modus, certique habitus anfractuum, hiatus
Diversi fissurarum, variæq; cavernæ.
Membrorūmque à se divortia mira stupendis
Evariant hinc, inde modis: Hic arduus astris
Corpore surrecto mediis è fluctibus extans
Intulit audacis capit is fastigia, recto
Pectore subnixus venientia nubila rumpit.
Ille obfirmatæ genetricis fœdera terre
Rumpere cunctatur, genuum compagibus ægris
Su cedrorum etiamq; fidens pronus in æquor
Devexâ pendet cervice, & sustinet artus
Incertos, multum afflictos, & fulmine, & imbre.

Sunt

Sunt qui de summo salientes vertice lymphas
Fontibus angustis jaculantur in aethera; Solis
Fluxilis ad radios sinuose asperginis arcus
Limite lucifluo tendens per inane coruscat,
Et guttis lavat iricoloribus aspera saxa;
Circuitum mitis per valles rivus oberrans
Æquoris horret misceri crudelibus undis.
Sunt qui visceribus rapide occursantia volvunt
Flumina per præcips, specubus fragor horridus atris
Trans mare, trans montes, longinquis prorutus urbes
Territat, atque propinquas soli fundamina quassat.
Tulla aliis circum capit is cava tempora nubes,
Et nebulæ obvolvère, procaces rumpere nodos
Ignea vis Solis medio nequit aethere regnans.
Ille irritatae tonitru per opaca frementi
Antra cavernarum oblatrant, dirumque minantur,
Et ferrugineis fera fulgura faucibus efflant:
Tristia ad hæc longè horrendis spectacula monstris
Cœrulea stricta tremunt, expallet territus aëris.
Nam longè visenda sub astro Mœnalis urse
Æmula flammarū indomitariū immanibus Ætna,
Hecla voluminibus cœlum terit, atraque vasto
Cum gemitur utilis super aethera mixta favillis
Saxa rotarabide eructans, mare, nigraque latè
Confundit piceis humorum littora nimbis.
Parte sui magnâ tremit obtusa anxia Thule:
Intus per præcips in tartara adacta barathris
Ploratu, planctuque, & luctuoso ululatu

*Antra tremunt, juxta corvorum dira nigrorum
Agmina, milvorumque volant; radicibus imis
Diversi erumpunt fontes: hic frigore torpet
Immani; ille calore ferox fervente perurit
Quæ fertur loca senta, & longè fumidus errat.*

*Vt verò ad terras classis transvecta secundis
Auris appulit, alludit novus undique vultus
Rerum, Hominumque, alia hic animalia nata vi-
dentur,*

*Silvae aliae, atque aliae volucres, aliisque natantes,
Diversæ messes, lœtis diversæ & in hortis
Divitiae, diversæ artes, legumque statuta.*

*Iamque redux patriam spe lucri lœta, & onusta
Mercibus omnigenis portum subit undique navis.*

*Hac promit que thuriferis Panchaia silvis
Nutrit, hec vendit Phariae prærepta volucri
Cinnama, & Assyrio manantes gramine succos.*

*Hec quicquid pelagi legit scrutator Eoi,
Et felix quicquid Zeilan, terraq; Maluccæ,
Et Iava, Hesperidesque ferunt, mirandaque Forco.*

*Hec Mechuacanis quicquid converritur agris,
Et Cuba, & silvis quod Florida gignit odoris,*

*Quicquid & Australes, Arctoi quicquid & orbis
Donarunt, confert; Mundi communia in unum
Quintuplicis veniunt congesta impendia acervum.
Et perfecta suis Naturæ Summa benignis
Fructibus, ornatique per omnes spargitur urbes.
Sic distracta, 'Dei, quæ munificentia passim*

Totius summae occultis simulacra figuris,
Seminaque omnimoda sapientia aperta docere;
Et quae progenuit proventu animalia victus
Sufficiente famis tristi defendere tabe.
An sibi quae similis totum est expansa per orbem,
Internas quantum ad vires divina potestas
Integra non sit ubique? an quae huic aequata tenore
Immenso bonitas constans, & summa minuta,
Et restricta aliis, aliis diffusior oris,
Majorque existat, nativi ad commoda quantum
Victus, præcipuosque usus satis, atque necesse est?
Vtraque sed tamen externo nescenda paratu
Majori, illustrisq; magis prælucet, & extat
Perspicue magis ad sensus, & largius usus
Ad varios, gratosq; magis, pluresq; redundat
Terra alia atq; alia. Revolubilis Amphitrite
Monstriferis specubus, vastisq; abstrusa barathris
Quæ tenet, illa eadem non profert talia tellus:
Et quibus hæc scatet, illa caret. Tamen omnium in unum
Communis quod summa locum, terrasq; per omnes
Diditur, & præstò est totus passim orbis in urbe;
Prima ministeriis debetur gratia tantis
Ventorum, quibus horrisoni quos abscidit orbes,
Disjectosq; aliis subjecit longius astris
Neptuni medius furor, atq; freta invida junctas
Connectunt rursum officiis, & mutua rerum
Congenitarum per commercia, perq; verendum
Religionis cultum, artesq;, & fœdera legum.

Ergo